M

12
19
8/10


FRANCISCI PERLÆ CALVIENSIS MEDICI ROMANI

De Orientali Opobalsamo nupèr in Theriacæ Confectione adhibito,

Et inter Romanos Medicos controuerso,

Historica & Physica Dissertatio.

Pertinet ad [illegible]



ROMÆ,
Ex Typographia Ludouici Grignani.
MDCXLI.

Superiorum Permissu.

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO
PRINCIPI
FRANCISCO
CARDINALI
BARBERINO

S. R. E. Vicecancellario.

Francifcus Perla P. F. P.

EGREGIAE *pietatis Tuæ eſt*, FRANCISCE PRINCEPS EMINENTISSIME, *non modò communi Populorum felicitati animum intendere, quorum regimen Tibi à Summo Patruo Tuo commiſſum fuit; ſed ſingulorum incolumitati priuatim etiam*

prospicere; *cum* (*ut sentit Philo*) Principes publici Ciuitatum ac Gentium Parentes sint, nec cedant pietati naturalium. *Quàm autem religiosè præstitũ id à Te hucusque fuerit, peramplè testatur non modò tua hæc Roma, præcipuaque Italiæ pars ab immani lue quaquauersum ut fera debacchante, singulari sollicitudine, immensisq; laboribus à Te præseruata*; *sed testantur etiam egeni omnes, quorum languoribus generosa adeò pietate, splendidè liberaliterq; instructa eximiorum omnium medicamentorum Officina, subuenisti*; *ut illi etiam, quibus fortuna larga manu benignior aspirat, habeant in hoc quod pauperrimis hominibus inuidere possint*. *Hinc pariter factum est*, *quòd*

*quòd veritus ipse non fuerim exi-
guam hanc lucubratiunculam
Eminentiæ Tuæ nuncupare, in
qua de Orientali Opobalsamo, nu-
per inter Romanos Medicos con-
trouerso, disseritur; quod, vt præ-
cipuorum medicamentorum ve-
luti compendium est, alia com-
plura facultatum suarum subli-
mitate complectens, venenosa
omnia præsertim, humanæq; na-
turæ exitialia oppugnando; ita
si & syncerum, & sufficienti co-
pia inueniri contingeret, præclarè
admodum plerisq; in morbis con-
sultum nobis videretur. Vtinam
verò in tenui hoc munusculo sin-
gularem meam in te obseruan-
tiam, fidemque agnosceres:
Nam quid ego Eminentiæ Tuæ
non debeam, cum me, vix adole-
scentia tūc egressum, inter familia-*

res tuos adſcribi, Teque in Galliam Hiſpaniamque ad potentiſſimos Reges Apoſtolicæ Sedis à Latere Legatum, tanto heroicarum omnium virtutum apparatu proficiſcentem, ſequi, famulari, egregiorumque tuorum factorum ſpectatorem atque admiratorem eſſe pro ingenti tua humanitate indulſiſti; in reditu verò ſingulare contuliſti præſidium & decus, ſub Eminentiſsimi Principis Fr. Antonij Barberini Cardinalis S. Onufrij, Patrui tui, clientelam tradens, atque inter eiuſdem familiares recenſeri curansi Etenim, quòd ſub tanto Heroe nunc viuo, quòd beneficentiſsimo Principe, virtutum omnium ſingulari idea nunc vtor, id benignitati Tuæ potiſsimùm debeo Franciſce Eminentiſsime. Hæc longè profectò

maiora

maiora ſunt, quàm vt ingenua dumtaxat confeſſione perſolui queant: Verùm, quis vnquam clementiſſimo Domino digna rependere valeat? Quid ego in hac rerum mearũ tenuitate? Equidẽ, ſi quicquid ſum, Tibi acceptũ referre debeo, nihil proprium iam mihi ſupereſſe video, quod offerre valeam. At dum, vt veros Principes decet, Deum Opt. Max. cunctos iuuando imitaris, non niſi ab eodem beneficentiæ atque charitatis tuæ præmia expectare debes. Cæterùm non te latet quàm Regium ſemper habitum ſit nec tenuia quidem aſpernari. Vale, & Chriſtianæ Reipublicæ diù te incolumem ſerua, meque humillimum ſeruum tuum, licet nihil promerentem, fouere ne deſinas.

Im-

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Palatij Apost.

Io. Bapt. Episc. Cam. Vicesg.

IVssu Reuerendiss. P. Magistri Sacri Apostolici Palatij Ego infrascriptus, Francisci Perlæ Caluiensis Medici Romani in Opobalsamum Lucubrationes, quàm potui accuratè perlegi; in ijs nihil nota, omnia laudibus digna comperi. Excellentem Medicæ facultatis peritiam admiratus sum; Insignem Philosophandi rationem cum non vulgari eruditione coniunctam suspexi. Procul à candido Scriptore omnis concitati animi liuor; nullus genuini dentis morsus: Eius siquidem stylus innocenter excurrit, cui veritas collimanda proponitur. Dignum sanè opus, quod Typis ad posteros transmittatur, vt quam illi ex eius lectione vtilitatem percipient, cumulatis in Auctorem laudibus ad perennem sui nominis celebritatem rependant.

Ego Thomas Lanfrancus die 2. Augusti 1641.

Imprimatur,
Fr.Thom.Aquauiua Mag.& Soc.Reuerendiss.P. Mag. Sac. Pal.Apost.

FRAN-

FRANCISCI PERLÆ CALVIENSIS MEDICI ROMANI

Controuersiæ de Opobalsamo Orientali inter Romanos Medicos nuper exortæ

HISTORICA DISSERTATIO.

Totius Disputationis Προπαρασκευή.

QVIS quis, seu veritatis studio, seu Orietalis Opobalsami nouissimas dissensiones cognoscendi curiositate motus, huc [illegible]duenis, priusquàm vlterius progredia[illegible]s, sine, precor, me nonnulla in limine [illegible]oloqui, tum de celebris huius contro[illegible]rsiæ statu; tum de occasione, qua inter [illegible]bis Medicos atque Pharmacopolas ea [illegible]citata est; vt ità edoctus monitusque, [illegible]ostmodùm non hæreas, sed æquum po[illegible]is te Iudicem præstes.

Nosti, vt puto, inter omnia medica[illegible]enta, quotquot aut Veterum, aut Neote[illegible]orum sagacitas, singulari naturalium [illegible]rum cognitione, seculorum complu-

 riuin

rium experientia, & incomparabili propemodum labore, componere vnquam sciuit, celeberrimam antidotum, Tranquillam, Hilarem, Serenamq; à suo Autore priùs dictam; mox Theriacam ἀπὸ τῶν θηρίων hoc est, à feris, quarum ictibus, venenoq; vnicè medetur, à Critone appellatam, vbi primùm iuuenta ea est, supremum sibi locum perpetuò adseruisse.

Princeps autem præclari adeò inuenti Autor, Andromachus Cretensis, Neronis Archiater, perhibetur; aut hic saltèm Mithridaticam confectionem, iam multo prius inuentam, ita viperinæ carnis additione perfecit, vt antidoti totius gloriam fuerit assecutus: Quin, licet ex posteris aliqui, nulla necessitate exigente, quædam in ea immutare ausi fuerint, vt inuentionis videlicet laudem, velut innuit Auicenna, quoquopacto vsurparent; permansit nihilominus Andromachi compositio, semperque celeberrima apud homines extitit, partìm, inquit Galenus de Ther. ad Pison. cap. 2., ob promissorum certitudinem, partìm ob suarum actionum efficaciam: Ac tandem, cum Antonino Cæsari quotidiano esse in vsu cœpisset, tanta eidem accessit autoritas, ac si summi Principis assensu quid cœlitus ei superadditum esset, vt longè lateq; inter omnes gentes eius efficaciæ fama peruagata fuerit.

Verùm

Verùm tanti nominis Antidotus euitare neutiquam potuit, quin cladem & ipsa non minimam, vt cætera cuncta humana, à tẽporis diuturnitate acciperet; nam siue Medicorum negligentia id factum sit, vt voluit Manardus epist. 6. lib. 6., quòd hi scilicet parùm in simplicibus cognoscendis medicamentis versati, seplasiariorum arbitrio medicaminum cõpositiones permiserint; siue potius varijs mortalium calamitatibus id acciderit, qui Barbarorum incursionibus, diutinis, ac funestissimis bellis, pestibus sæuissimis sæpè obnoxij, pluries maiori ex parte extincti fuerint: quod nõ leue artibus cunctis attulit detrimentum, medicaq; præsertim facultas plurimùm inter istas labefactata extitit, amissa cum Professoribus suis multarum rerum cognitione & selectissimorum complurium aromatum aut aduectione, aut synceritate turbata; generosum etiam hoc alexipharmacum facultatibus ijs magna ex parte destitui compertum fuit, quibus anteà vbiq; terrarum tantoperè celebrabatur; eò nimirum, quòd præcipua huius compositioni inseruientia simplicia, vel penitus ignota forent; vel non amplius adueherentur; vel saltem, non sine macula & fuco.

Sed dies deprimit, extollitq; rursus omnia humana. Post nubila Phoebus illuxit, & natura, quæ nunquàm adeò effœta

est, quin boni aliquid producere valeat, sublimiora quædam anteacto seculo dedit ingenia, vt Manardum, Fuchsium, Ruellium, Brassauolam, Matthiolum, Dodonæum, Bahuinum, aliosque huius censûs, quorum singulari solertia, immensisq; laboribus factum fuit, vt pleraque iamdiù obsoleta, pristino reddita sint nitori: inter quæ Theriaca, in cuius apparatu complura, selectioraq; aromata desiderabantur, quorum vicem vulgaribus quibusdam, longèq; inferioribus suppleri necesse fuerat, ea sedulitate atque splendore parari cœpta est, vt perpauca iam, vel nulla propemodum in illa conficienda deessent; nec tamen promissis adhuc respondere inuenta fuit: cuius rei non alia a doctissimo Senerto, lib. 4. de præseru. à pest. cap. 7., affertur ratio, quàm quòd Orientali destituatur Opobalsamo; cuius vsui in venenis, alijsq; prauitatibus debellandis, plus hodiè fiduut Ægyptij, quàm alijs quibusuis auxilijs: nec præter rem; Auerroes siquidem lib. 5. Collig. cap. 42, magnam venenis Theriacam illud nuncupauit: Quin viperas ipsas inter Balsami frutices passim diuersantes, veneni expertes atque innoxias reddi, memoriæ prodidit Pausanias lib. 2. Beotic. Neque distillatum ex Gariophyllis oleum, aut Cinnamomi, Nucismyristicæ, aut de seminibus Citri, quibus iam vtimur, satis eius

vicem

vicem supplere posse videtur, cum nimis hæc inter se distent.

Est autem Opobalsamum resinosus liquor ex Orientali, exiguo, atque sarmentoso frutice, qui Balsamum nuncupatur, emanans: cum namq; canicularibus diebus, arbusculæ illius caudex leuiter in cortice vulneratur; lacteas in lachrymas, parcè tamen, resudat; & ab ὀπῆς, hoc est, cauernula, vel sinuoso plantæ vulnusculo, ex quo colligitur, Opobalsamum dictum est, vt placuit Hegesippo; vel potius, ab ὀπός, quod est succus, nuncupatum fuit; est enim Balsami succus, vel lachryma.

Ad cuius deinde similitudinem, nobilis etiam, ac prædoratus ille liquor, qui ex noua Hispania, alijsq; Occidentalis Indiæ locis, tum albus per resudationem ex vulnerato cortice elicitus, tum coloris ex nigro rubentis, ramorum, frondiumq; decoctione elaboratus, hùc adfertur, ob eximias dotes, quibus Orientale Opobalsamum æmulatur, Balsamum pariter, sed Occidentale ac Peruanum, nuncupatum fuit; cum tamen diuersæ omninò speciei sit: non enim ex humili & fruticosa planta colligitur, cuius folia Rutæ proxima sint; sed ex arbore, quæ Punica malo maior est, cui frondes Vrticæ similes, tenues & in ambitu serratæ visuntur.

Hoc igitur tam pretioso liquore, quem

Orientale Opobalsamum nuncupari diximus, non modò tota Europa seculis compluribus destituta fuit; sed repertu amplius impossibilis à plerisq; habitus est; & nunc etiam habetur; nec sine ratione; Theophrastus siquidem, & Dioscorides, quibus primas in medicinali materia deferimus, ille quidem in sola Iudæa Balsamum nasci testatum reliquit; hic verò in Iudæa & Ægypto; ibiq; in Regijs duobus tantummodo, ac perangustis hortis adseruari; ex quo non modò summam tunc Opobalsami penuriam extitisse necesse est, cum sex tantùm, septemve congij annis singulis eo explerentur, qui sexaginta circiter, vel septuaginta pendent libras, paucissima profectò quantitas pro vniuersi terrarum orbis vsu, quippe quæ vix Iudææ, magnisq; Principibus, satis esse potuerit; sed cum tota postmodum Iudæa à Romanis deuastata fuerit, Regios etiam hortos vnà cum ipsis plantis funditùs deletos rationi maximè consentaneum est; quamobrem extrema ijs ineptia videtur, Balsami liquorem ad medicos vsus nunc expectare; cum ab vniuerso orbe iam pridem penitus exulauerit, ita vt vix eius memoria ad nos delata sit.

Verùm vt de quantitate varias, sibiq; pugnantes autoritates, intelligere, & conciliare valeamus, distinguenda prius tempora nobis sunt: à Salomonis etenim Re-

gno

gno ad excidium vsque à Tito & Vespasiano Hierosolymis illatum, Balsami virgulta angusto dumtaxat hortorum duorum ambitu conclusa extitisse, iam vltrò fatemur; atque tunc summam Opobalsami fuisse penuriam probabilissimum est; eoq; tempore scripsisse constat Theophrastum & Dioscoridem: ille enim sub Alexandro Macedone vixit, annis scilicet ab Vrbe condita quadringentis circiter quinquaginta, Rempublicam Consulibus administrantibus; hic verò Antonij atque Cleopatræ familiaris atque intimus Medicus extitit, potuitq; proinde Balsama in Ægypto percommodè contemplari: Ex quo autem Iudęa in Romanorum ditionem redacta est, ad Imperij declinationem vsque, desolationemq;, Opobalsami maximam extitisse copiam, patet ex Plinio lib. 13. cap. 25., vbi eam Plantam à Fisco seri, neque vnquam numerosiorem ac procerosiorem, quàm suo tempore, fuisse scripsit, singularumq; arborum largiorem tunc venam affirmauit, quòd scilicet ter omnibus percuteretur æstatibus: Vnde Fallop. in Diosc. cap. de Bals. *tandem capta sunt loca*, inquit, *& factus est, ex Balsamo prouentus maximus, & adeò creuit, vt vilis deuenerit planta illa*; quin adeò liquoris huius vbertas aucta fuit, propagatis quaque versùs, ob Romanorum industriam, per varios colles arbusculis ijs; vt Hadrianum

Cæsarem Balsama cum Croco per theatri gradus strauisse narret Alex. ab Alex. genial. lib. 5. cap. 16. Eliogabalus verò, profusissimus Principum, in lucernis etiam exhibuit, teste Lampridio in eius vita; ac denique postquàm Constantinus pietate religioneq; ductus, sacro illud cultui applicuit, singulis annis ad plures centenas libras in sacris Basilicis hìc Romæ exarsit, Baronio teste annal. tom. 11. anno 1061. Cæterùm Imperio Romanorum deleto, omnis etiam cultura Syriacis Balsamis, aut remissa, aut penitus extincta est; ita vt cum hortorum cultu, nobilissimæ stirpis proles ibi etiam defecerit; ac per plura exinde secula celeberrimo pariter liquore, maximo omniũ damno, caruimus. Quinimmò ij, qui Theophrastum solummodo, Dioscoridem, horumq; sectatores legerunt, in ea obstinatè persistunt opinione, quòd extirpatis Hierosolymitanis atque Ægyptijs hortis, Balsami species à nostro penitus orbe exulauerit.

Attamen diligentissimi non pauci naturalium rerum indagatores, qui superiori seculo medicam materiam nauiter tractarunt, cœperunt accuratius animaduertere, Iudaica omnia Balsama, cum humana solùm industria exculta fuerint, non nisi exotica & peregrina esse potuisse; è campestribus nimirum, aut montuosis locis eò translata: Nulla siquidem planta est, cui

solum

iolum aliquod cœlitùs datum non fuerit, in quo absq; vllo humano cultu passim germinet, atque adolescat: cui sanè rei Pausanias fauebat & Strabo, qui felicem Arabiam Balsami à natura feracem olim prodiderunt; sed tandem Iosephus Hebræus antiq. lib. 8. cap. 6. omnem prorsus ambiguitatem ademit, apertè docens, inter cætera munera, Salomoni à Saba Æthiopum Regina dono allata, Balsami etiam plantas fuisse, a quibus postmodum reliquæ Regijs in hortis virentes, propagatæ fuerunt.

Hinc quidam, mira naturalium rerum cognoscendarũ cupiditate commoti, longa itinera, immensosq; subiere labores; ac nullis parcentes impensis, nullisq; deterriti periculis, Orientales quascunque plagas peragrarunt, vt scilicet oculati Orientalium rerum testes fierent; neque in re tanti momenti mercatoribus, atque ijs, qui lucro tantummodo inhiant, fidem habere cogerentur. Ex his fuere Petrus Bellonius natione Gallus, vt eius itinerariæ obseruationes testantur; Eques Villamontius, vt constat ex eius peregrinationum libris; Breuius, vt suis relationibus palàm fecit; alijque, qui infrà patebunt: atque ij omnes de Balsami apud Arabes, velut in naturali solo, existentia tam liquidò testatum reliquere, vt Bernardinus Cæsius Soc. Iesu lib. 4. miner. cap. 12. sect. 11.

nu.9., planum esse affirmauerit, Balsamum non vni tantùm Iudææ concessum, contrà quàm sentiunt Plinius & Solinus, (poterat addere Theophrastum & Dioscoridem,) sed prouenire etiam in Arabia felici; & quidem hac quoque tempestate; quod tamen inficiantur quidā imperiti, hanc plantam prorsùs perijsse rati. Hæc Casius.

Sed Prosper Alpinus, singularis eruditionis Vir, vt præclara eius monumenta de Medicin. Ægyptiac., de Plant. Ægypt., de Medicin. Method., de præsagienda vita & morte ægrot., satis amplè testantur; cum pluribus annis apud Venetos Consules medicinæ gratia Alexandriæ atque Cayri commoratus fuisset, & plantarum studiosissimus, omnia ad amussim in Balsamo obseruasset, exactissimam non modò illius cognitionem in reditu ad nos detulit, sed ipsammet etiam plantam transportauit, diuq; viuentem excoluit; ac dum Cayri degeret, accuratissimo dialogo plenissimè Balsami historiam aperuit: &, quod magis est, signa a Dioscoride, alijsque Veteribus ad syncerum Opobalsamum ab adulterato dignoscendum allata, à quibus nostra omnis ambiguitas in hoc Aromate præcipuè prouenit, exactissimè explicauit: nam cum ij dixissent syncerum hunc liquorem, si in laneam vestem instilletur, neque maculam facere, neque, si eluatur, notam relinquere; item si lacti infundatur,

tur,

tur, illud coagulare; ac demum, cum leuis sit, diluiq; facilis, si in aquam instilletur, aut suprà lac, statim disijci & liquari, & in tenuem velut nebulam dissolui, quæ ob leuitatem sursum illicò ad aquæ, aut lactis superficiem deferatur; quam totam cooperiens, cogitur, atque ita candescit, vt lactea velut lamina appareat, quæ cultri, aut styli cuspide tota inde auferri possit: nullum tamen hodie Arabicum Opobalsamum reperitur, quod notis his omnibus ad amussim respondeat: nam si suprà laneam vestem instilletur, ei proculdubio adhæret; lactis verò nihil ferè coagulat: & quamuis in aqua diffundatur atque supernatet; alia tamen reperiuntur, tum olea; tum artificialia Balsama, quæ id ipsum efficere conspiciuntur, velut inter cætera, Iuniperi oleum; vt nunc de odore præteream, quem in vero Opobalsamo eximiæ suauitatis esse retulit Plinius; Arabico autem isti odor Thuris ac Terebinthi æmulus tribuitur: ea propter compluribus nunquam persuaderi potuit, Arabicum hunc liquorem verum esse Orientale Antiquorum Opobalsamum: Hinc Busbequius Ferdinandi Primi apud Solymanum Orator, cum in discessu laudatissimum Opobalsamum ab Hally Baissa Ægypti olim Præfecto, dono accepisset, & in Patriam reuersus, Amicis distribuisset, tanti liquoris veritas in dubium a-

Cæsareis Medicis vocata est; eò scilicet, quòd notis, quas Plinius requirit, non ex toto respondere videretur; *cum alioqui*, subdit ipse Legationis turcicæ epist. 4., *certò certius scirem, è fruticibus illis, qui in hortis Matheraensibus Cayro propinquis coluntur, prô fluxisse*. & Euangelista Quatram. lib. de Ther. & Mitrid. *Quia Medici*, inquit, *nimiùm addicti sunt probationibus veri Opobalsami à Dioscoride & Plinio propositis, illasque non exactè recognoscentes in liquore, qui ex Ægypto in Italiam missus est, eum reprobarunt, ac reiecerunt, & ad suos dominos remiserunt*. & profectò potissima causa cur perpaucum lachrymæ istius ad nos deferatur, est quòd velut falsa reijcitur; quia pannum inficit, & lac debilissimè coagulat: quapropter tota per Orietales distribuitur regiones, vbi in summo est vsu atque honore, morbisq; propemodum omnibus adhibetur, vt in supradicto Dialogo refertur.

Alpinus itaque hanc omnem difficultatem exactissimè diluit; nam cum Balsami succus resinosus sit, & ex veterum etiam confessione, viscidițate atque lentore præditus, ex quo Plinius syncerum inhærescere debere asseruit; & Strabo, dum succus ille emanat, tenaci lacti persimilem eum esse dixit: immò si ipsiusmet plantę ramulos virentes adhuc contrectes, digitis eos adhærere affirmant; impossibile omninò est, quin laneo panno instillatus, ei

non

rion ad hæreat: quod ex ipsomet Dioscoride satis clarè colligi posse videtur: dicit enim *Merus in laneam vestem fusus, nec maculam facit, neque, si eluatur, notam relinquit*: si etenim panno nihil prorsus adhæsit, quid nam abluemus, quam notam delebimus? porrò necesse est, vt illud, *neque maculam facit*, aliud quid sit à mera adhæsione, quandò etiam absque macula adhuc locus ablutioni relinquitur; ac tunc ablutio non nisi adhæsioni conuenire poterit.

Dicit itaque Alpinus Dioscoridem ibi docere quo pacto verum syncerumque Opobalsamum à vitiato adulteratoque dignoscatur: nam cum varij generis oleis illud adulterari consueuerit, vt Cyperino, Balanino, Lentiscino, alijsq; huius generis, quæ sub vnguenti etiam nomine à Dioscoride, Plinio, Galeno, alijsq; referuntur; vitiatum Opobalsamum, vt quod oleum admixtum habet, non simpliciter adhæret, sed maculam excitat indelebilem, quæ in dies magis dilatatur, altèq; imprimitur, sicut oleum facere consueuit; cum alioqui syncerum Opobalsamum, quod solummodò adhæsit, simplici calentis aquæ ablutione eluatur; vel etiam absq; ablutione, (nisi suprà pannum in magna copia effusum sit) quotidie decrescit, demumq; exsiccatur; ita vt fricatione dumtaxat exeuti quàm facile possit:

præterea quod oleis ita vitiatum est, si aquæ, aut lacti iniectum, supernatet, non totam superficiem æquali, leuiq; velo tegit, sed in circulos atque spiras circumuoluitur, videlicet vt oleum quotidie efficere conspicimus: Atque hinc primæ notæ Medici complures, in naturalium rerum cognitione versatissimi, vt Carolus Clusius, Matthias Lobellius, Vlysses Aldrouandus, Andreas Chioccius, Ioannes Costæus, Andreas Cæsalpinus, P. Andreas Matthiolus, etiamsi Opobalsamum non reperiri, & ipsi quandoq; arbitrati essent; postmodum se verissimum vidisse fassi sunt, neque in priori sententia obstinatè permanserunt; diligentissimiq; nonnulli, atque primarij Pharmacopæi, qui suorum operum perfectioni incessanter incubuere, suas Theriacas cum Arabico hoc liquore, miro doctissimorum Virorum applausu atque approbatione, diuersis temporibus, diuersisq; in Vrbibus composuere, vt Ferrantes Imperatus Neapoli, Bernardinus Cicala Brixiæ, Antonius Bertiolus Mantuæ, Ioannes Pona, & Franciscus Calceolarius, tum senior, tum iunior, Veronæ, Balthassar, & Michael Campij, nomine quidem Pharmacopæi, re autem Philosophi, rerumq; naturalium cognitione peritissimi, Lucæ, vt ex probatis Autoribus, illorumq; publicis monumentis testatissimum est: quin etiam Romæ, Clemen-

mente huius nominis VIII. Pontifice, in Archixenodochio sancti Spiritus idem præstitum fuisse, non pauci affirmant.

Horum igitur exemplo, (vt ad rem nostram tandem deueniamus) Antonius Mãfredus, & Vincentius Panutius, primarij, diligentissimique in Romana hac Vrbe Aromatarij, excitati, agitare cœperunt de Orientali Opobalsamo ad suas componendas Theriacas parando; cui rei operam potissimùm nauauit Manfredus occasione percelebris Pharmacopolij ab Eminentissimo ac Reuerendissimo Principe, Francisco Cardinali Barberino, VRBANI VIII. Nepote, hactenus Christi pauperum necessitatibus, generosa pietate, dicati; in quo selectissima quæque aromata, quanis etiam maxima impensa, vndequaq; studiosissimè perquirebantur, adeò vt, quod ægenis ornabatur, tam regio esset apparatu, vt nec Regibus ipsis maiori magnificentia atque splendore parari potuisset; iisq; omnibus parandis Antonium Manfredum, velut spectatæ integritatis ac peritiæ Virum, præesse voluerat: quapropter Venetijs ab amicis Mercatoribus crebrò atque indefesso studio efflagitauit, vt si quid inculpati Opobalsami eò adueheretur, emerent, transmitterentque; quemadmodum pluribus transactis mensibus, ne dicam annis, tandem ad sesquilibram transmisere, quod Vincentio pariter

ter impertitus deinde eſt, publicèq; pluribus diebus expoſuere, cum tabella maioribus literis exarata, ad rei nouitatem indicandam, vtq; cuncti ad videndum explorandumq; magìs excitarentur: mox à Priore & Conſiliarijs præclariſſimi Romani Medicorum Collegij, cum alijs quatuor Archiatris, additis nobiliſſimis Viris, naturalium rerum experuſſimis, cum aliquot etiam exterarum nationū Pharmacopæis, qui liquoris illius non vulgarem profitebantur peritiam, examinatum; poſtque varias explorationes, tandem, cum horum omnium voto, ab Archiatris, quorum hoc ius eſt, vnanimiter approbatum fuit vt Orientale Arabicum Opobalſamū; neque exinde cæteris in Theriaca conficienda fuit admixtum, priuſquàm aliquot pertranſiſſent hebdomadæ, vt cuique maior viſendi, explorandiq; daretur facultas: atque omni hoc tempore Pharmacopæi quotquot in Vrbe ſunt, ij præſertim, qui Theriacam paulò prius ſine Opobalſamo compoſuerant, quibus præcipuè noui huius antidoti fama obeſſe poterat, perpetuò ſiluere, videntes, & ſubmurmurantes. At cum primùm nobile medicamentum confectum intellexere, extemplò ad Summum Pontificem prouocant, Collegijq; Aromatariorum Vrbis nomine ſupplices exhibent libellos, exponuntq; à Romani Collegij Archiatris nobi-

liora

liora corrumpi antidota, adulteratos & artificiales liquores pro Orientali Opobalsamo ad Theriacam conficiendam, approbantibus: ideoq; se pro ea, qua in omnium salutem pietate inuigilant, enixè petere, vt Theriaca illa, velut hominibus perniciosa, proijceretur, concremareturve: Ex quo Princeps sanctissimus, nil vsquam prætermittens, quod in Republicæ vtilitatem cedere possit, maximam Imperij partem arbitratus, communi hominum saluti prospicere, causam hanc Cameræ Auditori commisit, scilicet vt decerneret, cum voto Illustrissimi D. Thadæi Collicolæ, Pontificiæ valetudinis moderatoris sapientissimi, intimiq; Cubicularij, & Excellentissimi D. Ioannis Iacobi Vbaldini, Medici primarij Vrbis; qui statim controuersi liquoris specimen, seu portiunculam quæsiuere; indictaq; die, comparuerunt corâm ipsis ex vna parte Antonius Manfredus, & Vincentius Panutius, vt se ab intentata fraude purgarent: & cum his, ne indefensi manerent, Excellentissimi Viri Balthassar Bonannus, & Baldus Baldus ex Archiatris illis, qui Opobalsamo subscripserant. Ex altera verò parte magna Aromatariorum manus præsto fuit, procurante Stephano de Gasparis Medico Romano, qui ijsdem palàm patrocinabatur; petebantq; instanter, vt liquor ille, velut fictitius, damnaretur, igniq; traderetur

tur

tur Theriaca, quæ ipsius admixtione nouissimè confecta fuerat; extemplumq; illicò seuerè explorari, num notis responderet, quas Orientali ac syncero Opobalsamo Dioscorides ac Plinius tribuũt. Ac primò in aquæ cyathum instillatus, paulò descendit; mox in tenuissimam velut nebulam disiectus, ad superiorem aquæ superficiem se recepit, totamq; cooperuit, lacteæ instar laminæ, in cuius speciem concreuerat: At huic tam egregio experimento Aduersarij statim alium opposuere liquorem, nempe Iuniperi oleum; quod in aquam similiter iniectum, idem ad amussim efficere visum est. Transierunt proinde ad experiendum, num laneum pannum inficeret; nec minor tunc controuersia excitata fuit, de quo nam laneo panno intelligendus esset Dioscorides: Aduersarij etenim crassum atque villosum attulerant; hi ex altera parte contendebant non nisi cymatilem vel vndulatum pannum, è Caprarum pilo contextum, què vulgò Zambellottum vocant, ijs in regionibus reperiri, ac in illo proinde faciendum esse periculum: Isti prætereà supra pannum copiosè effundere volebant; Hi parcius instillare: ac demum, & suprà crassum pannum, & supra tenuem, quem vocant Saiettam, & supra Zambellottum effudere; & vbiq; liquor ille tenaciter adhæsit, permansitque, contra quam Aduersariorum

Pi-

Patronus expectabat, cuius opinio est, cum tota Opobalsami natura in odore posita sit, necessariò requiri, si in pannum instilletur, totum illicò in odoratum halitum euolare; atque ità maculā euanescere.

Hic profectò Manfredi partes inclinare non parùm cęperunt, exultantibus interim Aduersarijs, nec sine aliquo Arbitrorū applausu; Archiatris nequicquam exclamantibus, impossibile esse viscidum humorem non adhærere; sed experimentum hoc maculæ, vt supra ex Alpino explicuimus, esse intelligendum; sed vix erat dicendi locus inter tot Aromatariorum præ lætitia gestientium tumultus. Ad lactis coagulationem denique deuentum est, pro qua ipsamet lactans capella adducta fuerat; & in lactis haud exiguam portionem aliquot liquoris huius guttulæ instillatæ fuere, quæ statim liquatæ, in leuem laminam se in ipsa lactis superficie dilatarunt, condensatæq; sunt; sed non totum lac condensatum extitit, vt Aduersarij prætendebant. Exclamarunt Archiatri ex Alpino valdè imbecillem esse in Arabico Opobalsamo coagulandi vim; eamq; in recentissimo tantùm plus vigere; sed non sua ijs autoritas constitit, nec vlla prorsus ratio eorum tunc habita est: quin indicto iam fine, Aduersarij, velut victoriæ palmam adepti, non parùm exultantes, discessere. Sapientissimi tamen Arbitri,

etsi

etsi illis nonnihil assentiri visi fuerint, sententiam ferre summa tunc prudentia distulerunt.

Angebantur interim Manfredus & Panutius, videntes Theriacam tanta diligentia atque industria, tantoq; Doctorum virorum applausu hactenus ab ipsis elaboratam, nunc vt deterrimam conculcari: nec minori vexabantur angustia Archiatri ij, qui subscripserãt, cum se vt Aromatum inscios atque incautos, non exigua existimationis iactura à plerisq; cõdemnari cognoscerent; sed Aduersarij pariter anxij viuebant, quòd sententiam adeò ab ipsis expetitam, in dies differri, neque vlla extorqueri posse instantia, conspicerent. Quamobrem cæteros consulere, & vnusquisque magni nominis Viros in suam trahere opinionem studiosè quæsiuerunt: Aduersarij etenim ad Neapolitanum Aromatariorum Collegium, & ad Petrum Castellum, in Mamertinorum Academia primarium practicæ Medicinæ professorem, & Botanicum expertissimum, literas cum liquoris portiunculis dederunt. Manfredus Campios, peritissimos Lucenses Aromatarios consuluit, liquoremq; transmisit. Archiatri demum, qui scilicet subscripserant; à Ioanne Veslingio, in Patauina Academia simplicium professore, qui pluribus annis Cayri apud Venetos Consules Medicinam exercuit, & Prosperum Alpinum

rum de plantis Ægypti doctissimis annotationibus illustrauit; ab Emilio Parisano Veneto Medico celeberrimo; & à Ioanne Nardio, doctissimo Magni Ducis Hetruriæ Medico, sub cuius fide selectiora ibi pharmaca, & quicquid singulare ex simplicibus medicamentis est, adseruatur, consilium hac in re petiere, vnicuiq; liquoris portiuncula transmissa: atque ab his omnibus ea lachryma examinata primùm fuit; mox cum indubitatis alijs Opobalsamis comparata; postremò vnanimiter approbata laudataque, ità vt Neapolitanum Aromatariorum Collegium epistolam vulgari idiomate, sed non vulgari peritia exaratam dederit, quam nostri Aromatarij, vt minus eis propitiam, incassum supprimere tentarunt; atque inter illos peculiariter enituit Ioseph Donzellius, simplicium medicamentorum indagator solertissimus, peritissimusq; Aromatarius, qui peritiæ suæ specimen pluries ea occasione typis exhibuit; Petrus Castellus absolutissimum edidit Opusculum, cui Opobalsami examinati, laudatiq; titulum fecit, & aliud paulò post emisit, triumphantis Opobalsami titulo insignitum: cumque nondum Aduersarios acquiescere appareat, Opobalsamum fulminans iam breui pollicetur; cæterique omnes doctissimis epistolis approbationem declararũt, quas Baldus Baldus cum doctissimis propugna-

tio-

tionibus suis hactenus euulgauit Demum, cum in hac Orbis atque Vrbis luce tunc degerent, & nunc aliqui degunt, qui Cayrum pluribus inhabitauerant annis, ac mercaturæ & alterius negotij gratia Oriẽtales lustrauerant plagas, vt Ioãnes Baptista Valtrottus, Marcus Auantius pharmacopola & Chirurgus, Cosmus de Nigris, nouissimè inde reuersus, & Ioannes Molinus Annenius, linguarum interpres; hi pariter omnes consulti, ostensaq; controuersa lachryma, vt Arabicũ Orientale Opobalsamum, ex oculata, quam habebant, peritia, agnouerunt, probaruntque.

Duo dumtaxat, tunc Veneti theriacopæi, cum ab Aduersarijs delatum ad eos fuisset, eorum Theriacam hîc Romæ haud bene apud quosdam Archiatros andire; indignati, in liquorem hunc conspirarunt, examinatis iuridicè testibus se probasse, asserentes, illum Cayri à Cosmo de Nigris prędiuiti Aromatario fuisse vili pretio emptum & Venetias asportatum, indeq; Romam transmissum: quòdque insuper liquoris eiusdem œnopharum Terebinthum adhuc, Iuniperumq; olens, ibi superfit: Quæ aduersariorum assertio, qualiscunque ea sit, cum plausu à compluribus excepta fuit, cum ipsimet vltrò fateantur, liquorem illum non fuisse hîc Romæ à Manfredo dolosè confectum, vt ab initio asserere ausi fuerant.

Iam

Iam satis ergo laudis peregrinæ huic lachrymæ, eiusq; propugnatoribus, ex tot insignium Virorum attestatione partum, videbatur; Archiatrorumq; existimationi sat benè consultum: tempus quippè prostratæ veritati non parùm lucis attulerat; Theriaca decenti pretio, nec sine emptorum frequentia, atque applausu vendita, & ab inclytis compluribus Vrbibus studiosissimè perquisita; sapientissimi etiam Arbitri, disceptantium animis componendis perpetuò intenti, à sententia abstinere summa prudentia decreuerant, & cuncta sic paulatim obliuioni tradebantur, ita vt excitatam de Opobalsamo tempestatem iam prorsus deseuijsse appareret, cum denuò nonnihil excitata est occasione oppugnationū, quas prædictus Stephanus de Gasparis Medicus Romanus, quas interpolatis vicibus, prout occasio tulerat aut oppugnandi, aut respondendi, scripserat, nunc in vnum congestas, euulgauit.

Ea propter, cum inde à primo disceptationis huius initio, ægrè quodammodo ipse ferrem ab vtraq; parte id, quod neutri earum certum omnino esse poterat, (nunquam etenim aliàs Opobalsamum viderant, neque demostrationes vllas de illo habebant) ea tamen obstinatione defendi, vt neque à conuicijs probrisq; abstinerent: digladiabantur siquidem ac si de rebus sensu ipsomet sibi cognitis

age-

agerent; vel quasi Cayro nuperrimè reduces, numerosæ illius multitudinis Peregrinorum, Mercatorumq; comitatum, quem Carauannam appellant, Meccha, vel Medina, Opobalsamis onustam redeuntem, pluriesq; conspexissent: cœpi proinde consiliū rationes omnes ex vtraq; parte ad sese inuicem oppugnandum allatas, in vnum congerere, singulisq; responsiones aptare, tum quia dubitationum solutio veritatis inquisitio est ex Arist. lib. 3. Metaph., tum etiam vt ostenderem rationum momentis nil certi ea in re decerni posse; cum alioqui indignum sapientis grauitate sit, quod non satis exploratè perceptum habeas, & cognitum, sine vlla dubitatione defendere aut impugnare: sed ab ijs potius rectum succi istius iudicium expectandum esse, qui oculorum inspectione omnia ad amussim in Opobalsamo pluries obseruare potuerūt.

Verùm, etsi dissertationem hac super re conscriptam amicorum plerisq; legendam tradidissem; nunquam tamen eam typis euulgari passus sum, quòd argumento huic, tot mensibus complurium doctissimorum Virorum contensionibus agitato, eam nouitatis gratiam iam decessisse viderem, qua vna legendi auiditas atque oblectatio excitatur; cœperunt tamen Amici iterum atque enixius petere, vt eam edi permitterem: quibus pro-

fectò

fectò diutius adhuc reluctari, inurbanum prorsus mihi visum fuit.

Cæterùm, cum præcitatus physicarum oppugnationum Autor, opusculum suum sic in quatuor capita distribuisset, vt postrema duo maiori ex parte ea cõtineant, quibus in Physica dissertatione iam pridem responsum fuerat; secundum in Viros eximios directum est, qui aliorum responsionibus minimè indigent; primũ verò caput, in quo Opobalsami, odorisq; eius velut theoria continetur, exotica quædam atque peregrina habet theoremata, quibus tota eius, quæ insequitur disputatio, innixa est, ac proinde huic responderi, omninò veritatis intererat; hinc adnotationes quasdam in illud peculiariter conscripsimus, quibus liberè quidem pro veritate disputatur, sed citrà omnem prorsùs simultatem, illæsoq; illius amicitiæ vinculo, quam non vulgarem cum ipso Autore profitemur; easq; ad opusculi huius calcem collocauimus.

Habes itaque, præter hanc historicam narrationem, physicam de Orientali Opobalsamo dissertationem, in qua nihil ex ijs prætermissum est, quæ toto ferè biennio hinc inde ad liquorem illum, seu oppugnandum, seu propugnandum, ab vtrauis parte adducta fuerunt: qua potissimum ratione aliquid fortasse apud te gratiæ promeritura est, quòd cæteræ huius argu-

menti disputationes à clarissimis Viris conscriptæ, ad hominem propemodum sint, & pro re nata ad peculiarem quæstionis partem explicandam elaboratæ. Habes demum adnotationes in caput primum physicarum oppugnationum Stephani de Gasparis Medici Romani, præcipuique huius controuersi Opobalsami oppugnatoris: si quæ tamen in præfatione ista notata inuenies, quorum in sequentibus mentio iterum habeatur, ignoscas velim; quandò perarduum omninò erat, te ita edoctum in has concertationes deducere, ac nil prorsus bis enarrare: interim.

Tu quoque si vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem;
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemq; fugato,
Nec dolor adsit;
Nubila mens est
Vinctaq; frenis
Hæc vbi regnant:

Boet. lib. 1. Metr. 7.

FRAN-

FRANCISCI PERLÆ CALVIENSIS MEDICI ROMANI

Κατασκευή,

Qua verum Orientale Opobalsamum in nupera Theriacæ Confectione adhibitum fuisse probatur.

PRÆCLARE docuit Aristoteles nihil esse in intellectu, quod prius in sensu non extiterit: vnde Firmianus lib. 3. de Fals. sap. cap. 3. *Mortalis*, inquit, *natura non capit scientiam, nisi quæ veniat extrinsecùs: iccircò enim Oculos & Aures, & cæteros sensus patefecit in corpore Diuina solertia, vt per eos aditus scientia perueniret ad mentem.* Quinimmò in plerisq; neque vnus sufficit sensus, vt certitudinem menti pariat: multa siquidem audimus, quæ, nisi videamus etiam, haud vera credimus: multa rursus ipsismet oculis intuemur, quæ nisi ab indubitatæ fidei aliquo probari audiamus, de eorum veritate ambigimus.

Hinc etiam fit, vt si quid à Veteribus per notas indicatum nobis sit, licet ocu-

 lorum

lorum obtutu illud sedulò lustremus; incerti nihilominus simus, donec quis velut digitis commonstret, certòq; approbet: signa etenim, atque notæ vix vnquam ita exactè describuntur, vt omnem nobis ambiguitatem adimant.

Id omne nunc perbellè ostendit celebris quæstio, quæ de Orientali Opobalsamo Theriacæ non ita pridem immixto, inter Romanos Philiatros tam acriter, tantoq; animi studio agitatur, vbi sola inspectio haud satis nobis est ad indubitatè probandũ, reprobandumve, cum minimè in liquoris illius cognitione versati simus; sed ab vno dumtaxat, cui nobilem eam lachrymam indubitanter contemplari datum quandoque fuisset, vnanimi illorum omnium consensu, qui non nisi veritatis desiderio detinentur, componi quàm facile posset: cum tamen, dum coniecturis tantummodo agere cogimur, ac vnusquisque pro ijs, quæ de hoc liquore à varijs tum Veterum, tum Neotericorum referuntur, variè variarum notarum similitudines secutus, illum animo concipit; in varias pariter distrahimur sententias; ac si aliquis vera fortasse opinetur; indubitata nihilominus ei fides adhiberi non potest, cum non adsit, qui ex sensu cognitis certò aliquid de illo affirmare valeat.

Hæc libuit proloqui, quando non sine admiratione audire nonnullos est, eo ardore

dore affirmatiuam, aut contrariam tueri sententiam, vt neque à conuicijs temperent; sed longè acerbius pugnant, quàm scientiarum Athletas deceat; dum interim nemo est, qui vera, an falsa loquatur, certò sibi, omniq; remota animi perplexitate affirmare valeat, cum nusquam aliquo indubitatè commostrante viderit, obseruaueritque; opinabile verò obiectum ex Arist. 1. post. t. 41. sit, quod aliter potest se habere. Verùm vt id clarius appareat, etiam nobis inter tot alios tantisper in eo argumento liceat immorari.

Cum ergo, vt supra adnotatum fuit, diligentissimi duo ex Almæ huius Vrbis Pharmacopæis, Antonius Manfredus, & Vincentius Panutius, vt Theriacam, antidotum cæterorum omnium longè præclarissimum, ad antiquioris excellentiæ sublimitatem proueherent, è qua ob Orientalis Opobalsami defectum multis ab hinc annis deiecta iacet, exterum complurium exemplo ad id excitati, singulari industria, atque expensis eximium illum liquorem pro ea componenda Mercatorum ope sibi comparassent; primùm studiosis quibusque explorandum publicè exposuere; mox à Romani Medicorum Collegij Priore, cum duobus Consiliarijs, alijsque quatuor Archiatris, pluribusque rerum naturalium expertissimis, post varias explorationes vnani-

miter approbatum fuit, nisi vt optimum, quod omnibus synceritatis, præcipuæq; excellentiæ notis respondeat, cuiusmodi vix alibi, quàm apud Principes Viros reperiri arbitramur; vt tale saltem, quod magna mortalium vtilitate, præ cæteris, quæ pro Opobalsamo substitui hucusque consueuere, vt est Oleum è nuce Myristica, è Garyophyllis, è seminibus Citri, celebri huic antidoto immisceri posset.

Hinc magna excitata con entio est; hinc exorta disputantium tempestas, in quibus præclara ingenij argumēta non pauci edidere, dum hi, Aromatarijs quibusdam adhærentes, qui paulò prius Theriacam, vt vulgò assolet, confecerant; proindeq; à nouæ huius fama suæ detrimentum timebant, probationem illam velut iniquam conuellere; hi contrà vt æquam defendere, summis viribus contendunt: Ab ijs ergo incipiemus; qui tamen, cum opinabilia loquantur, in varias etiam abiere sententias; vnde

Ipsorum aliqui asserunt primò Veteres omnes, quotquot de Opobalsami natura ad medicos vsus aliquid vnquam memoriæ prodiderunt, vt Theophrastus, Dioscorides, Plinius, Galenus, Aetius, Auicenna, alijque, de Iudaico tantùm, ac de Ægyptio fuisse locutos, neque aliud vllum Opobalsamum cognitum habuisse, cum ex horum omnium consensu vni tantùm

Terræ

Terræ Iudææ frutex is concessus fuerit, quem tamen cōpluribus ab hinc seculis è rerum natura exulasse, ex historijs certo certius colligitur: nā cum in Iudæa plātæ illæ eximiæ in regijs duobus tantummodo hortis excolerentur, qui haud longè ab Vrbe Hierico in ampla & peramena illa valle siti erant, vbi celeberrimus Elisæi fons surgebat: Fons, inquam, ille, cuius aquæ, cum animalibus cunctis, plantisq; funestissimæ prius extitissent, Diuini postmodum Vatis benedictione saluberrimæ redditæ sunt, mirisq; fœcunditatis viribus auctæ, vt testis est Iosephus de Bello Iud. lib. 5. cap. 4., & Hegesipp. lib. 4. de excid. Vrb. Hierosol. cap. 17., postquam Romana virtus de Syria tota, præsertim de Iudæa Vespasiano & Tito Ducibus triumphauit, sæuiere in eam plantam hortorum ambitu conclusam Iudæi; inuidaq; rabie radicitùs delere tentarunt: & tametsi non modò defensa à Romanis tūc fuit, sed studiosissimè mox exculta, plurimùmque per colles varios propagata, acrius in id intendēte fisco ob immensum lucrum, vt Autor est Plin. lib. 12. natur. hist. cap. 27., tractu tamen temporis ea regio iterùm ab Ælio Adriano deuastata fuit, Iudæique maximis cladibus attriti; ac tota demum Imperij mole in dies magis collabente, regij etiam ij horti penitus dissipati sunt, ita vt Balsami plantæ hu-

mana omni industria destitutæ, omninò perierint.

Neque obstat quòd Broccardus in descriptione Terræ Sanctæ asseruerit Cleopatram Ægyptiorum Reginam, in magni Herodis odium, hortum illum Balsami Babylonem Ægypti, Antonio annuente, transtulisse: nam pluribus ab hinc annis Ægyptiaci etiam Opobalsami ita omnis memoria amissa est, vt ibi etiam penitus, desijsse pro certissimo habeatur: Quapropter de Opobalsamo pro antidotis nunc loqui, extrema ineptia habenda est.

Verùm hi nimis Balsami historiam contrahunt, neque eam plenè se assecutos ostendunt: nam præterquam quòd valde dubium est num Balsama in ea Valle penitus desierint, nec ne; quando Augustinus Stephanius Stagni Episcopus, in lib. de perenni cult. Terræ Sanctæ, & de fruct. eius peregrinationis ad Gregorium XIII. conscripto, sic loquitur: *Hierico est planities magna, conclusa montibus, ab Oriente Arabia, ab Occidente Iudæa, & à meridie Mari Aspaltico vel Loth, à Septemtrione mare Galilea, hoc est, Tiberiadis: ipsa enim planities Hierico est valdè pulchra, & si culta esset, ad producendum apta omnia genera fructuum. In ea, vt à peritis in arte Medica accepi, præcipuè ab Andrea Vesalio, qui ipsam vnà mecum peregrinatus est; ab alijsque quàm plurimis clasis huius itidem intelle-*

xi,

xi, reperiuntur omnia genera Mirobalanorum, & lignum pretiosum, quod appellant spalatum. Poma aurea, arbores Balsami innumera in ea sunt, &c. Huius atteſtatio, præſertim magno adſtipulante Veſalio rei medicæ peritiſſimo, pluris certè facienda eſt, quàm Patres ij Franciſcani, qui contrariū aſſerere dicuntur: nam hi rei herbariæ plerumque imperiti, eximios fortaſsè frutices non animaduerterunt; vel in latiſſima ea valle, cuius longitudo triginta ferè milliariorum eſt, latitudo verò quindecim, non omnia forſam diligenter perluſtrarunt; quin etiam Braſauol. in exam. fruc. hoc idem ſentire viſus eſt.

Quo verò ad Aegyptiaca Balſama, quæ haud longè à Cayro in Matheræ pagi hortis adſeruantur, etſi plantulæ illæ ſubindè pereant; identidem tamen Præfectorum Regionis illius mandato innouantur, vt ſatis liquet ex Bellonio lib. 2. itiner. obſer. cap. 39. Vilamontio lib. 3. peregr. ſuarum cap. 13. nouiſſimèq; ex Breuio Principe viro in ſuis relationibus, alijſque oculatis teſtibus, quos diligentiſſimè collegit Baldus Baldus in propug. ſuis.

Sed eſto quòd Iudæa inter cætera vulnera, quibus ob impietatem in Deum ſuum conflictata eſt, hoc etiam tulerit, quòd præcipuo eo decore ſpoliata ſit, quo cæteras omnes regiones, ex plurimorum ſententia anteibat; & Matheræ cōſita Bal-

samis viridaria penitus etiam deleta sint, ita vt Syriaca quęuis Balsama omninò perierint; quid hoc ad pręsentem quæstionem attinet, in qua nemo asserit Opobalsamum hùc nouiter aduectum, Iudaicum esse, aut Ægyptiacum? Dicere autem, quòd Syriaco deleto, nobilissima stirpium species in vniuerso terrarum orbe penitùs desierit, Philosophum minimè decet, qui nouit quàm inenarrabili summi Opificis prouidentia Mundi huius perfectio atque pulchritudo seruetur, quæ in speciebus, rerumq; varietate potissimùm consistit: Quamobrem Mundus, etsi quotidie in indiuiduis suis intereat; in speciebus tamen indesinés omninò est: Hinc Trimegistus in Pimandro. *Nil*, inquit, *rerum, quæ in mundo sunt, interit*. Sunt etenìm rerum species velut ipsius membra, quorum si vllum amputaretur, mutilatum deinde illum superesse oporteret.

Alij ergo, qui magis philosophicè sentiunt, Opobalsamum nunc etiam reperiri haud inficiantur: nam si frutex ille in Syria non nisi in Regijs hortis excolebatur, aduenam fuisse ac peregrinam arbusculam necesse est: nulla siquidem e stirpibus reperitur, cui naturale aliquod solum desuper datum non fuerit, in quo passim sine hominum cultura germinet, feliciterq; adolescat; quasi præpotentibus ijs summi Opificis verbis, *Germinet terra herbam*

herbam virentem, & facientem semen & lignum pomiferum; seminales quædam virtutes terræ cuilibet ingenitæ peculiariter sint, ex quibus quodcunque solum quid peculiare ex se producere valeat: vnde Virgil. lib.2. Georg.

Nec verò terra ferre omnes omnia possunt. Sed *Diuisa arboribus Patria.*

Vnde licet Theophrastus liberè fateatur, nullum Syluestre Balsamum compertum se vsquam accepisse, quemadmodum neq; cæteris innotuit, qui illum postea secuti sunt, Dioscoridi videlicet, Plinio, atque Galeno; agnouerunt nihilominus alij non inferioris notæ ex priscis Autoribus: Strabo etenim suæ Geograph. lib.16. in felicissima Sabæorum terra propè oram maritimam Balsamum nasci asseruit; Pausanias verò lib.9. in Beoticis, Viperas in Arabia inter Balsami virgulta versari, memoriæ prodidit; ac demum Diodorus Siculus hist. lib.2. *Nascitur,* inquit, *in quadam Arabia conualle ad multa Medicis vtile Balsamum, maximum vectigal, cum nulla Orbis pars alia eam plantam producat;* Et Iosephus demum Hebræus lib. 8. antiq. Iud. cap.6. omnem dubitandi occasionem deleuit, narrans inter cætera, quæ Salomoni Regi à Saba Æthiopum Regina regia liberalitate dono allata fuerũt, Balsami etiam radicem extitisse; è qua postmodum reliqua, quæ in felicibus ijs hortis adseruabantur

bantur, propagata fuere.

Fatentur itaque Arabum nunc reperiri Opobalſamum; præſertim quòd recentiores complures, grauiſſimiq; Autores id oculata fide teſtati reperiantur; vt Proſper Alpinus de Plant. Ægypt. & dialog. de Balſamo, Petr. Bellon. lib. 2. itiner. obſ. cap. 39. Busbequius epiſt. 4. de rebus Turc. Radziuillius in Hieroſol. perigr. ac demũ clariſſimus Vislingius, primarius nunc in Patauina Academia Anatomicus, atque inſignis rei herbariæ profeſſor, Cayri per plures annos incola; præter celeberrimos non paucos, qui, licet Orientales plagas non peragrauerint; Arabicum tamen Opobalſamum optimum ſe, atque puriſſimum vidiſſe, literarum monumentis teſtatum reliquere, vt Scalig. exerc. 257. Coſtæus in Meſ. lib. 1. cap. de ol. Balſ. Cluſ. exot. lib. 10. cap. 9. Cæſalpin. in appendice ad ſuos libros de Plantis, P. Matthiolus in lib. 1. Dioſc. cap. 18. in codice Valgriſiano anni 1570. & in epiſtola dedicatoria ad Ioannam Auſtriacã, Fallopius in Dioſcor. alijq; non pauci, ita vt de Arabici Opobalſami exiſtẽtia clarior omninò res ſit, quàm vt vlla vlteriori probatione indigere videatur: illud tamen, quod hactenus Theriacæ immixtum fuit, nequaquam verum ac legitimum eſſe, mordicùs contendunt.

Ac primò nimia eius offenduntur quantitate

titate;scilicet quòd à pertenui frutice, cuiusmodi Balsamum est, qui paucis in locis adolescit, nec nisi summo adseruatur studio; ex cuius leuiter tantùm vulnerato cortice pretiosus hic liquor, æstuosis dumtaxat diebus, rorantes in lachrymas, parcèq; resudat; idq; si ea stirps in pingue aliquod solum translata fuerit; paucissimum, omninò Opobalsamum colligi necesse sit; neque in ea hùc aduehi copia possibile vnquam erit, vt Theriacæ conficiendæ sufficere possit: Quinimmò tanta liquoris huius est penuria, vt Sanctissimus Pontifex noster VRBANVS VIII. neque pro ipsomet Sacrosancto Chrismate conficiendo vnquam eius aliquid habere potuerit.

Sed his omnibus ab vno Alpino respõsum volo, cui olim per plures annos in Ægypto commoranti, oculatos non paucos alloqui testes percommodum fuit, qui cap. 2. dial. de Bals. sic differt. *In Arabia pluribus locis innumeræ propemodum plantæ magno cum illiusce gentis lucro aluntur; neque satis diù est, quòd apud Arabes vtilitas & lucrum cognoscitur: etenim Opobalsami quantitas multa in Orientis loca comportatur, quibus in locis eum succum summo in pretio esse, multi ex Arabibus nunc Cayrum habitãtibus narrant: cuius succi lucro ab iis cognito, omnes certatim multos Balsami frutices ex arenosis, montuosisq; locis in morbida viridaria transferre conantur: quamobrem ibi multa* pul-

pulcherrima Balsameta cernuntur, Quid iam de quantitate ambigimus? an tanto viro, clarissimis ingenij monumentis vbiquè celeberrimo, fidem abrogare licebit? affirmabimus ne ad Pharmacopæi cuiusdam defensionem, sic eum falsa esse locutum, ita vt suam prodiderit existimationem, vt alienam tueretur? sic quidam nugari audét; sed Alpinus ipsemet lib. de Plant. Ægypt. cap. 34. ingenuè fatetur dialogum illum, Memphi se olim conscripsisse; atque eius de Balsamo assertis attestatur Ioãnes Veslingius tum in suis suprà Alpinum annotationibus, tum in epistola ad Baldum Baldum, nostræ huius dissentionis occasione exaratam, vbi sic loquitur. *Mihi vltra quinquennium in Memphi Ægyptiorum olim degenti, singulis annis id conspectum fuit, redeuntibus à Mecca, & Medina indigenis, constanti omnium sermone non alibi, sed dictis in locis paratum esse, atq; emptum, quod secum attulerant: quibus vel eò libentiùs fidẽ adhibui, quòd, & frondes secum, & Balsami fructus deferrent, non extimo minùs habitu, quàm viribus, descriptioni clarissimorum veterum conuenientia. Non eiusdem equidem conditionis erat, quod communi Balsami nomine venditabant; nam ad Ægypti Proregem, militumue Præfectum, quod mittebatur, tenuius obseruaui, odore suauius, colore ex citrino albicans, quantitate exiguum: reliquum, vt copiosius, ità pretio parabilius: idque tùm*

esti-

æstimatione, tum bonitate rursus diuersum; nàm vel purius erat, atque ex plantæ ramis fruticibusq; ignis opera elicitum, priori tamen, & systasi, & odoris fragrantia, & virium pariter incolumitate cognatũ; vel Terebinthina, similibusq; resinosis plus aut minus permixtum, cuius maior longè prouentus, &c. Hæc omnia referre libuit, eò quòd exactã de liquore isto cognitionem, tum quo ad essentiam, tum quo ad varietatem Vir hic clarissimus præbeat: à quibus porrò neq; dissentiunt hìc Romæ ij, qui pluribus annis mercaturę gratia Orientales tractus peragrarunt, vt Ioannes Baptista Valtrottus, qui Cayri pluribus annis degit, Marcus Auantius Pharmacopola, & Chirurgus, Ioannes Molinus Armenus, linguarum Interpres, Cosmus de Nigris, nouissimè indè reuersus, vigintiquatuor annorum spatio ibidem commoratus, quique eò nunc iterum concessit; hi namq; omnes eadem indubitata fide attestantur: Quin immò, si dum Syriacũ solummodò Opobalsamum Europæis innotuerat, quod humana dumtaxat industria habebatur, in tantum à Romanis propagatum est, vt vna D. Petri Ecclesia ex fundis in Ægypto à Constantino dono ei traditis, Opobalsami in reditum habuerit libras bis centum vigintiquinque, & D. Pauli Ecclesia libras quinquaginta, vt Anastasius Bibliotecarius refert in vita S. Siluestri; quid ex naturali

turali solo sperandum erit, vbi ab insita terræ proprietate, feliciq; siderum afflatu vndequaq; luxuriat, adeòque propagatur, vt non modò pinguiorem apprehenderit glebam, sed in arida etiam, atque exsucca adolescat?

Minùs obstat quòd nec pro Sacrosancto conficiendo Chrismate per plures annos obtineri potuerit: nam cum in summa liquoris huius penuria, quæ olim per plura secula, quacunq; ex causa, extitit, Occidentale, ac Peruanum in hanc rem substitui, sancitum, longoque vsu receptum sit; iam Ecclesiarum Antistites de Orientali minimè soliciti sunt; præsertim quòd nihil ad Sacramenti Confirmationis essentiam id referat, vt patet ex Coninchio de Sacram. q. 72. ar. 3. dub. 1. num. 40. Quòd si curiosi naturalium rerum peruestigatores diuinando assequi potuissent, Summum Christiani Orbis Pótificem, ac Principem nostrum sanctissimum, tanto liquoris illius adipiscendi flagrasse desiderio; num defuturi erant, qui eius gratiam hac in re sibi demereri omni solicitudine tentassent? totus ferè Orbis gloriosissimum VRBANI VIII. ter Maximi Pontificatum venerabundus adorauit, quicquid singulare & peregrinum vspiam est, hùc spectandum transmittens: ex quo Elephantum, tot annorum decades Romæ inuisum; Alcem, Zibethicum catum, Salamandram,

mandram, Chamæleontem, aliaque huiuscemodi vidimus, quorum vix nobis nomina prius cognita fuerant; vt Indicas prætercam, aliasque exoticas plantas, quę mira nos adhuc nouitate delectant; cur credendum etiam non sit Arabiam pariter illud obsequij fuisse præstituram? Equidem, sic Deus optimi Principis vitam, Nestoreos seruet in annos, vt iam mihi mente augurari videor, ex hac de Opobalsamo concertatione quàm breui futurum, vt aliquis non modò nobilem hanc lachrymam, copia, & puritate præstantem, sed ipsam met etiam stirpem, ad aliquod fortasse tempus victuram, in Principis obsequium allaturus sit.

Argumentantur secundò à loco, vnde controuersum Opobalsamum Romam, transmissum fuit, Venetijs videlicet, vbi, vt ex epistolà ab Aromatariorum consulibus accepta, manifestum fit, nullam neq; Medici, neq; Pharmacopolæ cognitionē de hoc succo habent; suamque Theriacam, toto Septentrione percelebrem, non nisi substitutis simplicibus componunt: quod vtique non fieret, si verum ibi Opobalsamum reperiri posset.

Hæc præfectò coniectura non exigui esset momenti, si verum esset id, quod supponitur: At multi, nec præter rationem, valdè dubitant de veritate epistolæ illius, quæ tanto ambitu ostentatur: Nam cum certum

certum sit, ipsique Aromatarij non inficiētur, liquorem, de quo nunc disceptatur, Venetijs haberi, ac pro Opobalsamo publice vendi; verisimile est Consules illos Aromatariorum liquoris istius, saltem vt ab ipsis minimè probati, aliquo pacto meminisse, vt eà epistola omnem nobis dubitationem adimerent: Præter quam quòd haud necesse est, quicquid singulare Venetias affertur, statim Aromatariorum Consulibus innotescere; quandò sæpè in perampla Vrbe accidit, vt extraneus aliquis mercem quampiam secum deferens, vt sors fert, venalem offerat; & vendat; atque hic postmodnm alijs sibi addictis negotiatoribus ex parte transmittat, vt hìc etiam sæpè fieri obseruamus, absq; eo, quòd ad Consulum notitiam illicò deferatur: quod eò tantummodo nunc dictum velim, vt palàm sit, epistolam illam intellectum veritatis auidum haud benè conuincere: quin ex litteris ab Æmilio Parisano Veneto Medico celeberrimo ad doctissimum Bernardinū Messorium hùc nuperrimè transmissis, satìs iam patet, quàm ægrè Aromatariorum Collegium ibi tulerit huiusmodi epistolam hìc circumferri, cuius se penitus inscios fatentur. Quòd autem immensa Theriacæ copia, quæ ibi quotannis componitur, & ad libras quatuor mille ascendit & ad Septemtrionales omnes transmittitur regiones, sine Opobalsamo

balsamo componatur, vltrò concedi potest: neque enim tantum pretiosi huius liquoris reperiri facile esset, neque Theriacam tam vili pretio vendi ijs conduceret, neque adeò esset vendibilis, si pretium augeretur: Probabilissimum tamen est, & ibi perfectissimam interdum cum Opobalsamo componi, saltem in procerum vsum: nam si cum eo liquore tot celebres Pharmacopolæ composuerunt, quot in Historica dissertatione recensuimus; non est cur de inclyta Vrbe, celeberrimo totius Europæ Emporio, quò potissimum Orientalia omnia aromata comportantur, vbi peritissimi pariter, diligentissimiq; reperiuntur Aromatarij; idem credendum nõ sit; præsertim quòd Ioannes Pona trac. de Balſ. hoc palàm testatum reliquerit; etsi plerique Pharmacopolarũ tritum terere callem malint, quàm quid vlterius curare: Asserere autem eos omnes hallucinatos fuisse, fictitium Opobalsamum pro vero inconsultè accipientes, quasi hìc solum homines videant, ac sapiant, id est nimium nobis, gratìsq; tribuere: vnde vereor, ne plus nimio verum sit illud Galeni lib.8.de comp.med.ſ. l. cap.1.Falsas opiniones, animos hominum præoccupãtes, non solùm surdos, sed etiam cœcos facere, ita vt videre nequeant, quæ alijs conspicuè apparent.

Tertium argumentum à Persona desumptum

ptum est, quæ Opobalsamum hùc Romã transmisit: Mercator namq; fuit; cum tamẽ in Arabia lege cautum sit, ne quis præter Fiscum eximiam hanc plantam excolat: vnde Seriph Mecchæ Dominus, quicquid Opobalsami est, in suam redigit potestatem, nec nisi Principibus, Amicisquè illud impertitur: Hinc Turcarum Imperatori duas dumtaxat libras singulis annis dono transmittit; quas hic pariter confederatis Regibus, vt rem pretiosissimam distribuit, velut refert Alpinus in dialog. cap. 5. quamobrem, non est cur à negotiatoribus tantam rem expectemus: præter quam quòd vilissimum pretium, quo Opobalsamum hoc controuersum venditum est, satìs fraudem detegit; cum veri Opobalsami pondus, etiam vbi colligitur, duplo rependatur argento, ipsomet teste Dioscoride, alijsq; non paucis.

Verùm malè nobiscum in compluribus ageretur, si ijs omnibus, quæ Fiscus in suum reditum redegit, destitueremur, nec, nisi Principibus illa habere fas esset: nam, vt pretiosiora modò prætercam, puta Adamantes, Rubinos, Margaritas, aliaq; huius generis, quorum rupes, piscationesq; ad Fiscum plerumq; spectare indubitatum est; vilioribus etiam, & quibus non sine maximo humanæ vitæ incommodo carere possemus, eidem cessere, vt, exempli gratia, Alumina, & ipsemet Sal, quo

nihil

nihil hominibus magis necessarium reperitur; & tamen vix aliud vnicuique maiori supperit copia; scilicet quòd Fiscus non nisi lucrum inde quærit, & propterea Balsami prouentum alijs locare consueuit; & qui conduxit, vt respondeat, cuicumque potest, vendat necesse est: Quod igitur tam parca manu Turcarum Principi dono mittitur, & inter Principes circumfertur, electissimum erit, primęq; bonitatis, & ab homine probatæ fidei collectum, vt omni suspicione careat earum fraudum, quibus Principum vita à viris nequissimis circumueniri solet; non illud quod vulgarius est, atque venale. Quod ipsum quacumque al a in re accidere videmus: electissima enim Manna, quæ suprà arborum frondes decidit, indeq; colligitur; vt gustu suauissima est; sic pretio excedit, & vix alibi eam inuenies, quàm apud nobiles Viros; nec tamen inde fit, quin alia, etsi minus electa, ad medicos tamen vsus percommoda, viliq; pretio copiosè reperiatur.

Verùm Autor Physicarum oppugnationum cap. 3. pag. 173. negat audiendum esse Alpinum, cum dicit in lib. de plant. Ægypti cap. 14. Opobalsamum ab Arabum Principe solere locari, *soluuntque*, subdit, *vt audio aliquot millia aureorum in singulis annis, & qui habent ab ipso conductum, quibus volunt, vendunt*; tum scilicet quia loquitur per verbum, *audio*, &

ideo

ideò sit testis de auditu; tum quia in dial. de Bals. cap. 2. dixit populis ijs lege esse interdictum, ne quis præter Fiscum Balsami plantam serere queat. *ergo*, arguit iste, *non locatur; vel si locatur, quod non credo, conductores non possunt vendere Opobalsamum cui volunt.*

Negat ergo fidem habendam esse Alpino, asserenti in Arabia locari Opobalsami prouentum, licet ab innumeris id Arabibus Cayri quotannis Alpinus audiuerit; eò scilicet, quòd testis sit de auditu; & alia ex parte vult sibi fidem à nobis adhiberi in ijs, quæ de Opobalsami existentia, specifico odore, & proprietatibus differit, quæ neq; ipse vidit, neque ab alio audiuit, sed purè opinatus est. Est ne nouum locari Opobalsami prouentum? non ne id vsu receptum in Iudæa etiã erat, atque in Ægypto, vt testis est Plinius? Et si locatur à Fisco, quid obstat, quin conductores cuicunque volunt, vendere illud possint, ita vt priuatis etiam hominibus assequi concedatur? locatur Alumen à Fisco, ergo qui conduxit, non potest vendere Alumen cuicunq; libet; quæ illatio isthæc est? Ex dictis satìs etiam dilutum remanet, quod de pretio in controuerso Opobalsamo ambigebatur: vt enim suprà ex Alpino atque Vislingio vidimus, magna in Opobalsamis reperitur varietas; ac prout est, ita pariter maiori, viliorive pretio vendi consueuit:

sueuit: Neque ab his dissentit Theophrastus, dum dixit, *Aiunt vendi syncerum argento ad drachmam; reliquum pro modo adulterationis*. Summum itaque pretium in optimo atque electissimo quærendum est; at hoc, de quo hactenus disceptatur, neque primæ notæ asseritur, neque recentissimum; neque fortasse est sine aliqua aut Terebinthi, aut Iuniperini olei mixtione; quæ tamen pro Theriaca nequaquam abijcienda sunt, cum vtrumq; pro Opobalsamo substitui quàm optimè consueuerit, vt patet ex libro inscripto quid pro quo; & ex Matthiolo in Dioscoridē cap. de Bals. & infrà clarius patebit ex Autore de Hist. Plant., vbi nil opportunius pro Opobalsamo substitui, quàm Terebinthū, optimis rationibus demonstrabitur.

Mitto quòd mercium pretia augentur & vilescunt, prout hominum industria in eas intenditur, aut relaxatur; & prout earum copia est, aut penuria: Sic Peruanum Balsamum, cū in Europam primùm allatum est; vtpote rarum, tanti æstimatum fuit, vt, teste Monarde, eius vncia non minus centum aureis Romæ vendita sit; quod tamen, ob ingens lucrum, in eam copiam ab Occidentalibus Indis auctum fuit, vt non modò vili pretio, sed passim dono nunc reperiatur.

Sed quoniam in præsenti argumento agitur de persona, à qua Opobalsamū istud

huc

hùc aduectum eſt; perpendamus quæſo, quod hactenus veritatis miraculo à coniuratis in hunc liquorem expreſſum fuit: nam duo,tresve Veneti Theriacopæi,cum intellexiſſent eorum Theriacam hìc Romæ haud bene audire: reſponſum quippe fuerat (vt paulò ſupra vidimus) inſtantiæ eorum, qui dicebant Venetijs Theriacam abſq; Opobalſamo componi; ſecus planè, quàm fieret, ſi ſuccus ille facile reperiri poſſet; in ea copia antidotum iſtam pro Septentrionalibus omnibus gentibus ibi componi, vt, quemadmodum à Primarijs Vrbis illius Medicis indicatum fuerat, non facile eſſet tantum huius liquoris reperire, quod pro tot librarum millibus ſatis eſſe poſſet: hoc, inquam indignati, ſimul conſpirarunt; & non modò literas, de quibus ſuperius diximus, inſcio Aromatariorum illorum Collegio ſcripſerunt; ſed præterea, vt fabulis ſe ludere oſtenderent, ex Parnaſſo, nec ſine indignatione, ſe literas dare commenti ſunt: ſed quemadmodum de præclariſſimæ illius Vrbis Aromatariorum peritia, ſedulitate, fideque, hìc nunquam dubitatum fuit; ita perturbatis paucorum animis nonnihil condonandum iam duximus: ſatis ergo hi ſe dixiſſe exiſtimarunt, dum textibus iuridicè examinatis ſe probaſſe iactant, liquorem illum per Coſmum de Nigris ab Æthiope fuiſſe

Cayri

Cayri coemptum; mox Venetias, demũq; Romam translatum: addamus nos, prout verè affirmare possumus, & Principibus Viris hìc Romæ ab eodem Cosmo dono traditum. Ecquid ergo vobis videtur? Quid dubitandum de loco, si est Cayrum? Quid de venditore, si fuit Æthiops? Quid de emptore, si fuit Cosmus de Nigris, prę-diues Aromatarius, in ijs partibus versatissimus, ad quas nunc tertio transmigrauit? tanti ne est vestrum iudicium, vt plus ei, quàm homini expertissimo credere debeamus? absit hoc. Parùm ne videbitur ab Aduersarijs hanc veritatem extorsisse; videlicet quòd liquòr ille non hìc Romæ fuerit dolosè compositus, vt aliqui struebant?

Cum ergo extrinsecæ hæ coniectationes non sat benè conuincant; ad ea, quæ rei essentiam propiùs tangunt, deuenire iam satius erit.

Odorem itaque in Opobalsamo potissimùm considerant, vt quid sublime, non modò à naturalium rerũ Historicis, Poetisq;, sed ab ipsismet Diuinis Vatibus maximè celebratum: Theophrastus namque lib. 9. de hist. plant. cap. 6. *Opobalsamum*, inquit, *odorem refert eximium & copiosum adeò, vt è paruo spatium per longum posit permeare*: Plinius verò natural. lib. 12. c. 15. *omnibus odoribus præfertur Balsamum, cuius succus est suauitatis eximiæ*. Dioscorid.

tandem lib. 1. cap. 18. *Balsamum debet esse recens & validi odoris*: At Poetæ certatim Balsama vt apprimè odorata extollunt; adeò vt recenter sponsos ad delicias, & maximum luxum, ea adhibere consueuisse, memoriæ prodiderint; vt ex illo Claudiani liquet in Palladij & Celerinæ Epithalamio.

Gemmãtes alij per totum Balsama tectum
Effudere cades, duroq; saucius vngue
Niliacus pingui desudat vulnere cortex.

vt Martialem iam prætereamus, Iuuenalemque: quinimmò nec Virgilius tantam rem siluit, vt qui lib. 2. Georg. cecinit

Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsama?

Ecclesiasticus demum cap. 24. *Sicut Balsamum*, inquit, *aromatizans odorem dedi; quasi Myrrha electa dedi suauitatem odoris*. qui d plura? Neque dicat quis non dum eo tempore præstantissimos innotuisse odores; quapropter mediocres pro eximijs tunc fuisse celebratos; quanta enim excellentia & sublimitate in æuo illo spirarint odores, satis superq; ostendit illud Catulli ad Fabullum.

Vnguentum dabo quod meæ Puellæ
Donarunt Veneres Cupidinesque;
Quod tu, cum olfacies, Deos rogabis,
Totum vt te faciant Fabulle nasum.

Ex quo myropolicam tunc longè magis, quàm præsenti hoc tempore, floruisse,

ex

ex multis persuasissimum habent. Num, verò prætensum Opobalsamum ea odoris fragrantia præstet, quiuis iudex sit; vix etenim olet, si benè olet.

Vnde Stephanus de Gasparis, acerrimus liquoris huius pro cæteris Theriacopæis impugnator, pag. 225. *Velut,* inquit, *odor ille infimum habet locum inter benè olentia, ità Theriaca ex illo liquore congregata, infima virtutis erit inter alias Theriacas.* Quin magis adhuc excandescens, pag. 238. sicut à summo omnium opifice originem duxit tam excellens alexipharmacum, Theriaca, ita à Manfredo eius inualiditatem & inefficaciam nostra hac tempestate originem recepisse; aliaq; similia nimis acriter effūdit: cui assertioni non, aliud vtiq; posuit fundamentum, quàm quòd odor virtutum omnium fons sit; & quæcunq; Opobalsamum operatur, vno odore operatur; eo enim renales & vesicæ lapides frangit, venenis resistit, spiritus reficit, omnesq; corporis partes ictu oculi penetrat; lac itidem coagulat, & maculam in laneo panno non imprimit; àc quemadmodum hęc omnia Opobalsamum præstat præ cunctis alijs naturalibus rebus; ita reliqua omnia odorata odoris suauitate antecellit, Moschum, Ambarum, & Zibethum lōgè post se relinquens. Hæc toto ferè physicarum oppugnationum libello.

Sed neq; ista magni videntur esse momenti; & quo ad odoris sublimitatem, vt clarius pateat, & adeò elata, quæ de eo concepta est opinio, in suum quandoque ordinem cohibeatur; pro certo habendum est tantam inter Balsami & Terebinthi plantas similitudinem & cognationem intercedere, vt, siue formam spectes, siue vires, non, nisi in paucissimis, differant: Vtraque enim sub fruticoso continetur genere; & quamuis Terebinthus in arboris magnitudinem alicubi assurgat; frutex nihilominus est, & in Arabia nō modò eam à Balsamo in magnitudine æquari, sed superari etiam refert Abdela apud Alpinum dial. cap. 3. § & Strabo lib. 16. Geograph. *Balsami arbor*, inquit, *aromatica est, & fruticosa, Cytiso & Terebintho persimilis*. Vtraq; etiam resinosa est, nobilem & albicantem lachrymam vulnerato è cortice à ramis & à caudice effundens. Subrubenti vtraq; circumtegitur cortice. Ouata folia & oblonga, è nerueo vno tereti, exiliq; pediculo, plura ad quinque aut septem pendentia, eademq; disposita serie, perpetuò virētia, in vtraque visuntur; etsi magnitudine non nihil dissideāt: minima etenim Balsamo insunt, qualia Rutæ; Terebintho autem longè maiora, simillima Rosis. Viget Terebinthus vbicunq; Balsamum viget. Vtraq; subamarum quid, acre, & subadstringens sapit: Quin

Quin Bellon. itiner. obseru. cap. 39. de Xilobalsamo, seu Balsami ligno loquens, *Is gustatus*, inquit, *inter Thus, & Terebinthi folium sapit*. In fructibus verò vel semine tanta similitudine hæ plantæ se tangunt, vt Carpobalsamum, quod Balsami semen est, non nisi per Terebinthini seminis comparationem ab Autoribus exprimatur: Vnde Theophrastus. *Balsami fructus similis Terebintho tam magnitudine, quàm colore*. & Abdela apud Alpin. dial. cap. 6. *Fructus colore, figura, ac magnitudine verè fructibus Terebinthi proximi spectantur*. Eadem vtrisq; temperies, calida videlicet & sicca in secundo excessu; nec viribus admodum distant; nam vulnera vtraque glutinant; vlcera abstergunt, pulchraq; cicatrice obducunt, tametsi ea Opobalsami præcipua laus sit; Vrinam mouent; Renes ac Vesicam ab arenulis omniq; impuritate mundant; naturalium viscerum obstructiones tollunt, calorem adaugent, pectorisq; vitia emendant: Quòd si Opobalsamum eò potissimùm cõmendatur, quòd venena infringat, & prauas qualitates humanæ naturæ insidiantes expugnet; Terebinthi etiam fructus cõtrà phalangiorũ morsus vtiliter in vino bibitur ex Dioscor. lib. 1. c. 76. Hinc Autor lib. de hist. plãt. l. 18. *Quàre*, inquit, *in Carpobalsami penuria semine Terebinthi vtendum censet Pona, quòd eius vires Carpobalsami facultatibus*

planè respondere videantur. Quin è Terebinthi pullulantibus botris atque flagellis tempore verni limpidissimus liquor extillatus, odoratissimus, non parum tenax, digerendo, glutinando, doloremque mulcendo, eadem, quæ Opobalsamum præstare potest: cui suffragatur omnium consensus; nullus enim Balsamum confecit, qui non Terebinthinam vulgatam permiscuerit: quare nullum ille succedaneum aptius arbitratur, cuius partes omnes omnibus partibus, liquori, ligno, semini respondeant, quàm Terebinthus genuinus; & Fallop. in Diosc. cap. de Bals. *Ponit*, inquit, *Dioscorides notas optimi Balsami, quæ notæ conueniunt Terebintho, & ideò dico ego, quòd possumus vti oleo vel Abietino, vel ex Terebintho loco Balsami in medicinis; sed oportet stillare oleum ex his vt fiat tenuior substantia. Ego prius eram in hac hæresi, vt sumeremus oleum nucis moscatæ: at postea mutaui sententiam, & vellem vt acciperemus Terebinthum, vel oleum Abietinum in duplici vase stillatum; & quod me mouet est, quoniam Balsamum præstans est in vulneribus; hoc autem oleo in capitis vulneribus præstantius ferè nihil, vt expertus sum felicissimo successu.* Cum ergo hi duo frutices tam propè in natura se amplectantur, quid mirum fuerit, si odore pariter quàm simillimi sint? Alpinus profectò, quo vix alius quisquam apud nos maiori peritia ipsisinet sensibus comparata, de Balsamo scripsit;

cap. 3.

cap. 3. sui dialogi, *Odore*, inquit, *eximio in primis atque acutissimo Terebinthum redolens, cum suauiori odoris fragrantia obseruatur*. & cap. 4. *Odor in recentissimo validissimus est, in medio tempore fit suauior, Thus ac Terebinthum redolens, cum suauiori tamen odoris fragrantia*. Idque non semel repetit etiam lib. de plant. Ægypt. cap. 14. Honorius autem Bellius Vicentinus, medicus Cydoniensis in Creta Insula, in epist. sub die 15. Augusti 1596. ad Carolum Clusium sic habet. *Balsami semen idem est cum eo, quo vulgariter vtuntur: sed ego recentissimum accepi, quod Opobalsami odore maximè fragrabat; eiusdemque odoris resina sicca multis seminibus inhærebat; sed breui tempore odor ferè euanuit, ita vt nunc obscurè sensiatur: semina tamen in ore detenta, leuiterque mansa, suauem odorem relinquunt Terebintho proximum. Ex his seminibus terræ commissis quinque plantulæ mihi natæ sunt, quæ duo folia, figura quasi rotunda, protulerunt, in quorum medio cauliculum assurgentem, folijs primò singularibus, & postea ternis paruis, longo, tenuiq; pediculo hærentibus præditum, colore ex viridi albescente. &c.* Semē igitur, quod Opobalsami odore maximè fragrabat, eiusq; resina conspersum erat, ore commansum, suauem odorem Terebintho proximum relinquebat. Veslingius demum testis pariter sensatus, in epistola ad Balduin Balduin;

 Redo-

Redolet, inquit, *Terebinthum etiam pretiosissimum Balsamum; quemadmodum & cortex plantæ interior, & fructus, quàmuis in illo gratior halitus percipiatur:* Atque si eos omnes hic Romæ perconteris, qui liquorem hunc in Orientalibus plagis diù tractarũt, vnanimi consensu hoc idem eos affirmare videbis. Spiret ergo quid suauius Opobalsamum, & validius oleat, quàm Terebinthum; ne inde tamen arbitremur cœleste aliquid, atque nectareum esse, si Terebintho proximum est atque cognatum id, quod spirat.

Cum ergo Autores expertissimi, omniq; exceptione maiores, specificũ Opobalsami odorem ita ad amussim exposuerint, vt nulla dubitandi ansa relicta sit, quorsum aliqui tam multa de eo odore comminiscuntur, vt supra cunctis odoratis euehant, & Ambaro, Moscho, atque Zibetho anteponant? Non ne præcitati Autores pretiosissimos hosce odores notissimos habuere, ac proinde, si Opobalsamũ his suauius spirasset, innuissent vtiq; & Terebintho, ijs odoribus tam lõgè inferiori, haudquaquam comparassent?

Cum igitur Opobalsami odorem parùm ab odore Terebinthi distare, expertissimorum Autorum attestatione iam satis claruerit; videndum iam est, cur à Veteribus adeò celebratus sit: cuius quidem rei triplicem fuisse causam existimo.

Prima,

Prima, quòd optimi Opobalsami ideam nobis proposuerint; huiusmodi autem electissimum est, recentissimumque, quod, vt vidimus ex Alpino, tam validum emittit odorem, vt si proximè quis odoretur, dolorem capitis plerumq; cõcitet, sanguinemque è naribus eliciat; tametsi, *tanta est*, inquit Abdela apud eundem dial. c.6., *illius humida substantia, in qua odor saporq; fundatur, tenuitas, vt citò exoluatur, simulq; cum ea sapor atque odor euanescat*: rarò tamen ad nos huiuscemodi Balsamum aduehi censendum est.

Secunda ratio est, quia de Iudaico tantùm, atque Ægyptiaco Opobalsamo ij locuti sunt, quod cæteris huius generis liquoribus odoratius non nihil fuisse, non immeritò quis suspicari posset ob rationes infrà adducendas: succosior enim ea regio est, quàm sit Arabia, minusq; exusta; inde Opobalsamum producebat aptius ad vberiorem exhalationem emittendam, cum minùs aridum esset: quanti autem sit loci conditio ad augendas, aut hebetandas Opobalsami vires, dilucidè expressit Galen. lib.1. de antid. cap.4. his verbis: *Opobalsamum Syriacum, quod à loco, vbi plurimum & optimum prouenit, alterum quoque nomen accepit, Sagadinumque dicitur, cunctis alijs melius, quæ in Palæstinæ prædijs colliguntur: Quantum verò Falernum Vinum eo, quod caupones vendunt, præstan-*

tius est; tantum Ægyptio Opobalsamo Sagadinum vocatum antestat. Ex quibus videre est quàm benè ex odoris sublimitate liquoris huius synceritatem veritatemque nõnulli venentur: Prætereo interim, quòd locis ijs beatiore quadam sorte, Deique munere peculiariter cælestis gratia affulserit, tùm propter Elisæi benedictionem, qua propè Hierico & Engaddi montem aquarum scaturigines sanctificatæ sunt, vt suprà ex Iosepho & Hegesippo annotatum fuit; quocirca omnia perfectiori quodam gradu ibi proueniebant; n omenque Hierecuncti impositum est, quod bonum odorem sonat; Tum etiam ob fontem alterum, quo Balsami hortus non longè à Cayro irrigatur; fons inquam, vt refert Broccardus, & confirmat Radziuilus, è tenui vena vberrimè fluens, in quo Deiparam beatissimam Puerulum IESV, pauperrimamque eius supellectilem lauisse narrant: ex quo innumeris eum gratijs adauctum esse; plurimaq; veneratione, non modo à Christi fidelibus, sed etiam à Saracenis ipsis proinde haberi: licet enim hæc ad Philosophum non admodum spectent; pias tamen has traditiones nos pariter venerari æquissimum est. In pinguiori itaque solo, æstuoso quidem ex siderum aspectu, perenni tamen nobilium aquarum irrigatione attemperato, vt peramena illa Hierecuncti Vallis, Hortique

illi Ægyptij, longè odoratius, quàm in Arabia, resudasse Opobalsamum, rationabile omninò apparet.

Tertia demùm ratio cur Veteres summum odorem ijs odoratis adscripserint, quæ mediocriter nobis olere modò apparent, est, quòd sublimiora, quæ postmodū innotuere odorata, incognita prorsus ijs fuerint; non planè quod natura speciebus ijs tunc destitueretur; sed quòd animalia illa, vtpotè syluestria feraque, non nisi serò ab hominibus, vt Moschi Zibethiq; feracia, agnita sint. Obstrepit ad hæc maximè physicarum oppugnationum Autor pag. 129. & alibi, plurimaq; opponit, quæ veritatis trutina infrà exactius examinanda relinquuntur. Nullum ergo ex animalibus collectum odorem nouit Antiquitas, Vnde, cum Arist. probl. 4. sect. 12. quæsiuisset cur Animantium nullum suauiter oleat; Scaliger ea super re, exer. 211. initio, *Odoratorum animaliū natura serò comperta*, inquit, *adduxit humanæ sapientiæ parentem ad quærendum causam rei, quæ nusquam extaret*: sed ex varij generis plantis illum colligerūt, variaque mixtione perficere nitebantur, vt refert Plin. nat. histor. lib. 13. in procem. *Hactenus*, inquit, *in odoribus habent pretia syluæ; erantque per se mira singula, sed iuuit luxuriam ea omnia miscere, & è cunctis vnum odorem facere; ità reperta sunt vnguenta.*

Cum autem compluribus vterentur, quæ haud multum inter ſe in odoris ſublimitate differrent, vt liquet ex Theophraſto lib. 9. de hiſt. plant. cap. 7., vbi hæc habet. *Quibus ad vnguenta vtuntur, hæc ferè ſunt. Caſia, Cinnamomum, Cardamomum, Nardus, Necum, Balſamum, Aſpalathus, Styrax, Iris, Narta, Coſtus, Liguſticum, Crocum, Myrrha, Gladiolus, Iuncus, Calamum, Sanſucum, Lotus, Anethum*; hæc plurifariam miſcentes, plures quidem effecerunt vnguentorum differentias, vt notat etiam Athæneus Dipnoſoph. lib. 15. *Antiquos*, inquit, *in vnguentorum vſu fuiſſe curioſos ac diligentes, hoc eſt indicio, quòd priuatim vnicuiq; parti idonea ſcirent; vt patet ex illo Antiphonis,*

Lauat is in aureo quodam ſolio: Vnguēto Ægyptio pedes linit & crura;
Pheniciño, buccas, & vbera;
Siſymbrino verò vtrumq; bracchium;
Amaracino, ſupercilium & comam;
Serpyllino, ceruicem & genua.

& tandem exclamat Plinius lib. 13. cap. 3. hiſt. nat. *Vidimus etiam veſtigia pedū tingi.* taliq; pacto myropoliā antiquitùs magis floruiſſe, maximumq; tunc temporis ſtudium, laboremq; in ea impenditum eſſe, vltro fateri poſſemus: Cæterùm ex mediocribus iſtis non niſi mediocria efficere potuerunt. ¶ Sed inter tot lumina, quæ Balſamum hactenus illuſtrarunt, nouum ſi-

sidus nouissimè exortum est,quod placido aspectu,ac planè trino, aduersæ parti benignissimè arrisit; variaq; eruditione,tria sibi discutienda proposuit, & affirmatiuè pronũciauit; An scilicet Balsamũ benè iucũdèq; oleat;An Thure, Myrrha,cæterisq; similibus suauiorẽ spiret odorẽ; An iucundius oleat Ambra, Moscho, & Zibetho.

Quo verò ad primum, cum mihi adhùc neminem aut legere, aut audire contigerit, qui affirmare ausus sit Balsamum malè olidum esse,aut fœtere; dummodò Saladinum excipias, & si quem alium ab ipso edoctum, qui balsamicum rancido odori, nescio quàm decenter comparauit; licet ei Fallopius assentiri, visus sit; superuacuum prorsùs existimo iam aliquid circà id immorari: nisi tamen eos de huius lachrymæ odore deteriùs sentire dixerimus, eumque populari, qui in naturali virilitate ac robore detinere, ab ijsque eum tueri nituntur, qui ad luxum, muliebremq; mollitiem deducere viribus omnibus contendunt. Satis vtiq; nobis erit principem ei locum inter resinosas omnes arborum exudationes assignasse. De secundo quicquid sit, nihil nobis laborandum est, cum ad quæstionem nostram quàm minimè attineat. Tertium paulò accuratius in veritatis gratiam expendemus; vtpotè in quo disceptationis nostræ cardo magna ex parte vesetur;

Pro-

Pro adstruenda ergo balsamici odoris suauitate suprà Ambar, Moschum, atque Zibethum, illud potissimum fundamentum posuit, quòd singula hæc per se, & seorsim ab alijs accepta, syncera puraq; insuauia sint, malèque olentia: vt cuilibet, cuius nares abstersæ fuerint, ex ipsomet sensu notissimum esse putat: secùs autem vult sentiendū esse de Balsamo, quod eximij esse odoris à Veteribus nō minus, quàm à Neotericis vnanimiter proditum fuit: ex qua ingeniosa coniectura facilè etiam decerni existimat, quid de ijsdem dicendum sit, cum in vnguentis vnita fuerint: nam dum hæc seorsim accepta Balsamo quàm longè cedunt; mixta pariter cedere, omnis sanè ratio suadet.

Verùm, etsi tanti Viri sententiam plurimi semper quacunque in re fecerim; nunc tamen, aut cunctos homines coriza laborantes dicere debeo, aut ei assentiri non debeo. Ambar, quod ex vno hominum quorumcunq; consensu, cognomento odoratum dictum fuit, nūc tam facilè fœtidū per se concedam! fœtidum Moschum, fœtidum Zibeth! quasi minima cuiusque ex his odoramentis portiuncula per se satis non sit, vt si quis eam secùm deferat, vbiq. suauiter spiret! Non vtiq. sic gratìs atque inconsultò huiusmodi propositionē admittemus. Profectò, si magnus Fallopius iudex aduocādus esset, contrà id pro-

cul dubio decerneret: de Ambra etenim acturus comm. in primum Diosc. cap. 25. *Iam properemus*, inquit, *naribus apertis ad Ambram, vt tam suaui odore, cerebro bene affecto, de aromate ita pretioso discurrere possimus*. De Zibetho autem, non minus verè quàm festiuè pronunciauit. *Ego præter odorem carnis tostæ, non sensi odorem hoc Zibethi suauiorem, & pretiosiorem*. De Moscho demùm; *superat omnia aromata: nullum habet se maiorem vehementiam iunctam suauitati.* De his verò, vt simplicia sunt, non vt vnguentis admixta, agebat. Et re vera, sit quidem, quòd eximia illa odoramenta, tanta halituum vbertate spirent, vt humanus odoratus non absque molestia propè ea odorari valeat; irritetur, incalescat, abhorreat; secùs quàm Macrobius in somn. Scip. lib. 2. cap. 4. accidere asseruit in harmonia ex perpetua Cœlorum volubilitate iuxtà Pythagoreos enascente, quam ideò non percipi dixit, quia maior sonus est, quàm vt humanarum aurium recipiatur angustijs; num ea propter odoratissima illa mixta, fœtida dicenda erunt? At non eò, quòd lux in solari corpore intuentium oculorum aciem validè perstringat; aut horrida & tenebrosa dicitur, aut pulchritudinis laudem siderum omnium pulcherrimo denegamus.

Sed addunt propè quidem malè olere, eò quòd copiosi ij halitus, vniti & con-

glo-

globati odoratum feriunt; longiùs autem, cum per aerem dilatati sunt, amissa vehementia, suauiùs sentiri: *ex quibus*, inquiunt, *vel obiter intelligere possumus, non ex eo Zibethum longè dissitum, suauius olere, quòd odor, vt ait Arist. & Theophrast., ad locum remotiorem purus syncerusq; deferatur; sed potius à contrario, quòd minùs syncerus, aerique magis permixtus, offundatur; diffusus enim longè latèq;, obtunditur Zibethi odor, & abolita vehementia, dissipatisq; spiritibus, qui acerrimo impetu sensum feriebant, suauius temperatur*. Quam vtique rationem lubenter nos pariter admittimus, vt quæ ab eodem Aristotele profecta videatur ibidem probl. 1. sec. 12. ijs verbis. *Cur suffimenta omnia minùs è propinquo sentire possumus: vtrum quod odoris delibatio aere temperata validior redditur?* Non enim crediderim simplici admixtione aerem odores alterando temperare; nam cum medium sit, per quod odorati halitus ad sensum plerumq; feruntur; si eorum alteratiuus esset, nunquam odores puros, & prout in se ipsis sunt, percipere possemus, sed perpetuò immutatos; quod non minimum esset incommodum in natura; pro quo euitando, inodoratus omninò idem aer creatus fuit, scilicet, ne quid prorsùs odores à sua specie dimoueret, vt latius docuit Theophr. opusc. de Odor. initiò: explicāda itaq; erit hęc ab aere attemperatio velut ab his explicatur;

plicatur; quòd scilicet diffusus per aerem Zibethi cæterorumq; odor, longè lateq; diffundatur, & abolita vehementia, qua spiritus acerrimo impetu sensum feriebant, suauiorem eum reddi: halitus enim, qui coactus anteà atque vnitus odoratum insuauiter alterabat; interiecto loci spatio, diffunditur latè ab aere, & sic rarefactus, mitius agit. Attamen hęc ratio non excludit alteram Aristotelis atque Theophrasti, ita vt antesignanos istos audacter redarguere debeamus; quin potius vtraque vera est; simulque vnitæ, adæquatam problematis huius causam constituunt: Quid enim obstat, quin cum ijs dicamus vapores quosdam ex crassis minimèque elaboratis odoratorum mixtorum partibus eleuari, qui vnà cum odoratis halitibus ad odoratus organum, dum nimis propè est, peruenientes, offendunt; qui tamen ad longinquiora ob grauitatem accedere nequeũt: quamobrem, in longiori distantia odorati ij halitus puri syncerique ad odoratum perueniunt, vndè gratius, suauiusque olent? Negabimus hanc partium, etherogeneitatem in mixtis, ita vt partes omnes, vaporesq; homogeneos dicere velimus? cum alioqui, nec purissimas aquas quauis Chymicorũ industria eò puritatis deduci posse apertissimum sit? Abscedemus ne ab istis humanæ sapientiæ Parentibus ob instan-

ſtantiam de putido cane adductam? Aſſeritur quippe putidum canem propè parũ fœtere; plurimùm procul; neceſſe proinde eſſet eodem pacto putreſcentis canis odorem partes aliquas ſuaues & beneolentes exuere, quibus antea mixtus, hebes atque ignauis propè canem erat: nihil tamen neceſſe eſt ſuaues has partes in prauo eo odore comminiſci; propè enim ſuauiter illum olere oporteret, ſi beneolentibus his partibus imbutus eſſet talis odor; & procùl fœtere, iiſdem exutis; quemadmodum è contra Zibethum malè olet, vt ſupponitur, dum propè eſt, ob excrementoſas exhalationes; ſuaue autem percipitur à longè, iiſdem amiſſis: ſed non ne in huiuſcemodi cane ob eandem partium etherogeneitatem illa varietas prouenire poterit? ſcilicet quòd tenuiores aliquę partes magis à putrido calore feruefactæ alterataeq;, validius procul feriant odoratum; cum tamen dum propè canem ſunt, ab alijs vaporibus in ea partium etherogeneitate hebetentur? Atqui nos, more Arabum, interpoſito hoc canum fætore, à valida odorum vi cerebrum nimis occupante, iam ſatis defenſi ſumus; ad odores ergo iterùm diuertamus.

Enimuerò, ſi iijdem ſunt halitus, qui tam propè, quàm procul odoratum feriunt; hac tamen diſtinctione, quòd propè odoratum mixtum, è quo effunduntur,

vniti

vniti sunt & vehementes; procul verò, dilatati & rarefacti, ac proinde mitius agentes; dësitas enim atque raritas conferunt dumtaxat ad intensiorem, vel remissiorem actionem; plus autem vel minus non variant speciem; vt nam poterunt hi in lõgiori spatio dici benè olentes; dum proximi suo principio sunt, malè olentes; ita vt excelsa illa odoramenta Ambarum, Moschum, & Zibethum, modò fœtida sint, modò odorata, mutata dumtaxat halituum densitate in raritatem? Profectò, si odorati dicendi sunt ij halitus in longiori distantia; odorati pariter dicendi erunt, dum propè odoratum mixtum spirant; licet sensus modò ijs oblectetur; modò ijsdem offendatur; quod per accidēs est, & propter ipsius imbecillitatem.

Cæterùm ab hac labe excipiendum ne erit Opobalsamum? minimè gentium, si Alpino credere debemus, rei huius expertissimo, qui cap. 14. lib. de plant. Ægypti, sic retulit. *Opobalsamum olet in principio recentissimè distillatum acutissimo, atq; eximio odore, quod multis capiti dolorem concitare solet; & aliquibus etiam sanguinem à naribus promouere: odoris verò illa acuties, & vehementia, ac in Zibeth fit, tempore obtunditur, & gratior euadit.* Validius igitur, quàm vt ab humano odoratu citrà offensam ferri possint, spirant, non minùs Opobalsamum recentissimum, quàm Am-

Ambarum, Moschum, atque Zibethum, si nimis proximè, aut sine aliqua moderatione odoretur; ac si quid virosum prætereà tunc oleant; ab etherogeneitate partium id prouenire censendum est; ea tamen vel maleolentia, vel fœtida, haud rectè dices, nisi id in ordine ad odoratum nostrum explicemus, qui ea ferre nequeat. Hinc naturalium rerum scriptores, docentes optimam Ambram eligere, odoratissimam & pinguem, quàm suauissimam, & excellenti gradu fragrantem volunt esse eligendam, vt patet ex Libauio Singul. part. 3. l. 4. c. 12. & ex Costæo lib. 1. in Dioscor. cap. de Diambr.

At verò, vt aliàs diximus, non rationum dumtaxat momentis hæc veritas firmanda est, sed doctissimorum virorum præcipuè iudicio, qui tam Balsamū, quàm eximia hæc odoramēta se non semel fuisse odoratos profitētur; ac primò Iulij Cæsaris scaligeri, cuius apud hos summā esse autoritatem, certissimè scio; cum ergo vir iste eximius purissimum, & copiosum Opobalsamum, tum apud Maximilianum Cæsarem, tum apud Carolum Sabaudiæ Ducem, & apud Patrem suum vidisset, eiusque virtutes etiam in se ipso expertus esset, vt refert exerc. 157., exercitat. tamen 211. *Quot vni*, inquit, *vel Zibetho, vel Moscho plantarum obieceris odores? non singuli seorsum, non omnes simul illam æquarint*

rint vim. Opobalsamum verò inter plantarum odores adnumerari, à nemine ambigi puto; vndè ex Cardan. lib. 10. de subtil. *adeò odoris fragrantis Zibethum est, vt vel grana tria, pondus librarum plurium cuiuscunq; arboris odoratissima vincant*. Sit alter testis Andreas Matthiolus, quem summum in hac materia habendum esse, nemo inficiabitur; & hic pariter, vt non semel diximus, optimum Opobalsamum, tum apud Ferdinandum Primum; tum apud Franciscum Calceolarium se vidisse testatus est cap. 18. l. 1. in Dioscor. in codice Valgris. ann. 1575. latinè impresso; & tamen lib. 5. epist. ad Martinũ Guidottinum de rat. paran. mitrid.; omnibus quibuscunq; Veterum odoramentis præcipua hæc nostra longè prætulit. Sed prætermittemus ne Fallopium, etsi ea ætate is vixerit; in qua nondum Alpinus, & Bellonius exactam de liquore isto cognitionem fortasse attulerant? Hic vtique cap. 19. lib. 1. in Dioscor inquit, *Balsamum, vt referebat quidam Pedamontanus, & vt ego vidi, talis est naturæ, vt Terebinthinam, vel Oleum Abietinum referat. Color ex albo in Luteum; quòd si attingitur digito, hæret; sed non ita, vt Terebinthum. Odorem habet, sed sapit quid inueteratum rancidum, ac nescio quid mixtum habet; ac si quis vellet conferre, non inclinat in resinosum, quia proprium habet odorem; sed non ita iocundum, vt alii testantur*. Hæc retulit

tulit Fallopius de Opobalsamo postquam sensu cognitum habuit; quid autem dicat de cæteris nostri, & Patrum nostrorum seculi odoramentis, iam suprà vidimus. Quid igitur adhuc ingeniosis coniecturis indigemus? Si quis tamen adeò acerrimi ingenij est, vt ratiocinando certius quid assequi possit, quàm alij omni exceptione maiores sensu ipsomet diiudicare potuerint; huic me libentissimè subscribam, eritque mihi ceu alter Apollo: vereor attamen ne, cognitis actoribus, tum ijs, qui ingeniosa coniectura, tum ijs, qui sensu iudice decernunt; statim quæstio in rem iudicatam per se abitura sit.

Ruit ergo primum Balsamicæ sublimitatis fundamentum, maiorique proinde lapsu alterum à mixtione petitum, faciliusque ruet, vt quod primo huic innitatur: præstabat siquidem Opobalsamum vnguentis admixtum, sublimioribus huius æui odoratis, eò quòd seorsim etiam acceptum excelsius spirare asserebatur; quod cum secùs sit, etiam ab expertissimorum Virorum attestatione; falsum proinde & illud dicendum erit.

Cæterà, quemadmodum odores mixtione perfici aliquo pacto, & ad humanum odoratum temperari aptarique vltrò fatemur; acutiora etenim, vehementioraq; quadatenus franguntur; exacuuntur verò ignauia hebetaque; vnde ad me-

diocritatem redacta, omni procul molestia odoratus sensum tangunt; sic ex inodoratis odorem procreari in vnguentis, aut ex vulgaribus sublimia effici, constantissimè negamus: neque enim nos præterit complura huiuscemodi in illorum cõpositione admitti; sed haud quaquam ad odorem præstandum: Circumiuimus nos pariter myropolia, & præstantissimos Vnguentarios allocuti sumus: alia enim ad systasim, seu spissamentum & consistentiã inducendam vnguentis; alia ad odores ab impuritate purgandos, vt sunt puluisculi varij ex arborum musco, ex herba moscata, ex camedrio, alijsq; huiuscemodi; alia ad eosdem continendos ne dissipentur; vt olea, pinguedines, medullæ, gummi; alia ad vnguentum à corruptione præseruandũ, vt Sal; alia ad gratum ei conciliandum colorem adduntur, vt Cinnabari, Anchusa: quorum pleraq; omni prorsus exuta odore eliguntur, vt facile alienum suscipiant, nec suo proprio illum alterent, aut inficiant; alia demum velut condimentũ sunt, à quorum odore vnguentum commendari debeat, cuiusmodi sunt aromata, aliaq; odorata, sub ἡδύσματων dictione à Græcis cõprehensa, à quibus vnis odor expectandus est; quod amplè docuit Theophrastus suo de Odoribus libello.

Id satis superq; ostenditur in puluisculo illo pretiosissimo, odoratissimoq;, ad capil-

lorũ cultum quàm maximè à nonnullis expetito, quem Cyprium cõmuni nomine dicunt: hic etenim ex querno musco exsiccato, aut ex tenerrima Sepiæ ossis parte, aut demum ex ouorum testis(licet postremus hic paululum grauior, quàm par esset, reperiatur) ad tenuissimum pollinem redactis elaborari consueuit; ex rebus videlicet prorsus inodoris per se; extraneo tamen excipiendo odori aptissimis; cui subiectum prębent, & quidem aliquanto densius; est etenim in subiecto densiori vis cumulatior, impressioque firmior, vt ignis in ferro; quantitatem minima impẽsa augent; odoratas substantias in minimas particulas comminuunt, vt facilius exhalare possint; commodum vsum præstant: attamen odor ex his minimè expectandus est; sed ex artificiosa suffumigatione, quæ ex rebus odoratissimis postmodum ijsdem puluisculis adhibetur; qua vna nobili illi diapasmati, seu insperssili odorato, gratissimus odor conciliatur: neque vllum fermè ex odoratis cõpositis est, quod aliquid huiuscemodi non suscipiat; nam si tota vnguenti massa ex odoratis rebus constaret, maximi id esset dispendij; & odor ob vehementiam minùs gratus.

Non minùs ergo in artificialibus rebus, quàm in naturalibus infractum, inconcussumque remanet axioma illud in scholis omnibus decantantum, nihil scilicet age-

re virtute propria vltrà suam speciem, vel supra propriam naturam, suasq; vires; ex quo dicitur orta semper attestari suis principijs: quamobrem, si inodorata odorem aliquem vltrà suam speciem producerent, non possent id agere, nisi vt instrumentum sunt; virtute scilicet alicuius superioris formæ, vel astri; quod tamen in vnguentis affirmare perdifficile est, cum in ijs non fiat vera mixtio, vel simplicium alteratio; sed potius rerum plurium confusio.

Nec valet exemplum de Moscho, aut Ambaro exoluto, quod à re fœtidissima pristinum acquirit odorem: nimis enim dinstat approximatio sine contactu à mixtione. Rosa propè Allium virescens, odoratissima prouenit, siue quòd fœtens ea planta quicquid sulphurei, fœtidi, atque adusti in terra est, ad se innata familiaritate attrahat; ex quo postmodum Rosa puriore nutriatur alimento; siue quòd Rosa ab illa velut à contrario ob naturalem anthipathiam recedens, suas omnes in se vires colligat, quæ ab vnione validiores proinde reddantur ad florem illum perficiendum: si tamen simul miscerentur; nescio quàm gratam suauitatem præstitura forent. Idem prouenit in Moscho atque Ambare; quibus si fœtidum id admisceretur; extinguerentur omninò odores, non autem resurgerent. Et licet odores ij non nihil inuicem in mixtione alterentur, ita

vt tertium quid gratius suauiusq; ex ijs exsurgere appareat; remanet nihilominus vnusquisque in sua specie, ita vt quilibet seorsim ab odoratu percipi possit, si animaduertatur; eodem pacto, quo in harmonia; quæ cum sit soni grauis, & acuti mixtura vniformiter ad aures suauiterque accedens; licet vocales hæ materiæ, vt docuit Ficin. in Timæum Plat. cap.3. ob subtilitatem, & continuum vniformemq; motum ex impulsu canentium facillimè conflentur in vnum; proindèq; ad vnam, nouamq; formam aptissimè parentur; nihilominus, si vna quæque per se attentè obseruetur in ipsamet harmonia; eandem omninò vocē esse cognoscemus, ac prius erat. Hinc Dioscor. lib.1. cap.40. docens explorare vnguenta num benè elaborata fuerint, nec ne; nares consulendas dixit, videndumque an vnguenta ea oleant, ex quibus fuerunt confecta; optimumque id esse indicium asseruit: quapropter non minus ex simplicibus quale futurum sit compositum intelligere possumus; quàm ex composito quæ nam fuerint ipsa simplicia illud componentia cognoscamus.

Minùs adhuc obstat exemplum de aqua Myrthi, quæ Aquæ Angelorum, seu Namphę, omnium odoratissimæ, admiscetur: ea etenim aqua odoratissima per se est, vt apud nobiles Lucenses discere quisque poterit, apud quos vtraque

ele-

electissima elaboratur; vt eorum pariter liberalitate factum est, quòd ipse nō semel pretioso vtroque hoc latice largè donatus, id commodè obseruare potuerim.

Neque artificiosæ mixtioni, statutisq; quantitatibus tantum est tribuendum, quasi Veteres in reconditioribus arcanis hanc habuerint; eaq; vna ex vulgaribus etiam odoratis vnguenta pretiosissima confecerint; qua nos destituti, de eorum vnguentis ex sola simplicium componentium notione iudicium ferre nequeamus; præsertim, quòd, vt putant, simplicia isthæc vnguentum compositura, singulari artificio prius præparare cōsueuerint, & ad præcipuam excellentiam eleuare; nam imaginaria prorsus hæc omnia existimo, & eorum propria, qui antiquitatem perpetuò atque in omnibus admirantur; idque eo argumento ductus assero, tum quòd nec Theophrastus, nec Dioscorides, nec Plinius, nec alius quisquam ex Veteribus, quòd sciam, singularis huius, reconditique artificij mentionem vllam habuerint, prout absque dubio habuissent, si ex vulgaribus rebus tam mira præstitissent; tum quòd Dioscor. lib.1. Aetius serm. 16. cap.113. & Paulus Ægineta lib.7. pleraq; ex ijs vnguentis, quæ apud Veteres in pretio fuerunt, apposita dosi, & ad amussim retulerint, vt Amaracinum, Irinum, Crocinum, Cyprinum, aliaque huiusce-

 modi;

modi; quæ tamen, nec minimum quidem præclari huius ac reconditi artificij vestigium ostendunt: quòd si Critonis illius opera haberemus, de quo monuit, Galen. lib. 1. de comp. med. ſ. l. c. 3. scripsisse eum conspersiones Vestium, aromaticas, odoratasq; vestium infectiones, & aspersiones thalamorum, & ambulacrorum; suffimentorum item omnis generis varietates; illitionumque & vnguentorum, quæ tamen extrà medicinæ documenta omninò esse, idem Galenus existimauit; nil fortasse de hac arte nunc ambigendum esset.

Quæ autem de aqua, vel potius oleo cinnamomi per simplicem ebullitionem in ænea vesica, vel vase refrigeratorio, tamburlano vulgariter nuncupato, elaborata referuntur, satis vulgaria sunt præ ijs, quæ perauide expectamus, si, prout supponitur, ex Illustrissimi Equitis D. Cassiani à Puteo communicatione proferantur; ea etenim est nobilis huius Viri solertia, ingenijque alacritas in naturalibus quibuscunque rebus perscrutandis; ea pariter in eos omnes, qui vel leuiter Palladi addicti sunt, egregia humanitas, vt nil vspiam admirandum reperiatur; nil à quouis, seu casu, seu sagaci industria, inueniri possit, quod ei statim non innotescat: id tamen, non Antiquorum, sed recentioris potius seculi mirabile artificium in odoribus

ribus

ribus condiendis deteget, Chymicorum sagacitate inuentum; cum nihil simile priscorum temporum adnotatum reperiamus; licet Chymiam veteribus non ignotam penitus fuisse fatendum sit: vt hinc intelligant nonnulli veterum vnguentariam, nisi in numero, in qualitate saltem atque excellentia, cum hac nostri temporis nullatenus esse comparandam: Quin etiam concludendum, illorum myropoliam eò potissimum spectasse, atque ob id statutas obseruasse quantitates, ne scilicet in tot aromatum mixtione vnum opprimeretur ab alio; sed intensiora obtunderentur, erigerenturque exiliora, vt ita ad mediocritatem redacta, ad gratam suauitatem conspirarent; quæ enim sine excessu alterant, diutius minoriq; noxa tollerantur: ex quo etiam fit, vt pelles apud nos pauciori Ambra iasminisque simul attemperatis imbutæ, maiori sint in vsu, gratioresque habeantur; non quòd sublimiorem spirent odorem, quàm Hispanæ ambraceæ; sed quod minùs offendant caput, minùs percellant odoratum.

Sed quis vnquam adduci poterit vt credat, cognouisse quidem Veteres Ambarum, Moschum, & Zibethum, neglexisse tamẽ sola artis ignoratione? quasi odoramenta hæc per se perpetuò fœteant, nisi prius arte præparentur; eam autem artem priscis ijs fuisse penitùs ignotam? Nam

cum ea sit odoratorum istorum naturã, vt propè quidem aliquanto grauius olere videantur ob supra allatas causas; è longiori autem spatio suauia admodum sint; dum Animalia Moschi, atque Zibethi feracia, (quæ nos pariter in hac rerum vniuersitate semper extitisse arbitramur) à collecti, ac pruritum excitantis humoris irritatione agitata, tuberosas valuulas, vomicasque scopulis, arborumque truncis in syluosis tractibus affricabant, prout solent; loca strigmentis ijs sic illita, propè quidem grauius oluisse; paulò procul suauiter spirasse, certo certius habendum est; non poterant ergo eò accedere, vel redere homines, quin illa aut fœtida aut suauia admodum comperirent: quapropter aut inter fœtidã, aut inter odorata literis consignassent, velut cætera, etiam vulgariora, consignarunt: præter quam quòd Aristoteles, & Theophrastus satìs manifestè indicarunt, vt suprà vidimus, nullum animal odoratum ad sua vsq; tempora agnitum fuisse.

Vt ergo coniecturam hanc ratam habere possemus, necesse esset primùm Aristoteli, & Theophrasto fidem denegare; Exin Dioscoridem, Plinium, Galenũ, aliosque inauditæ cuiusdam negligentiæ insimulare deberemus, quòd scilicet tam egregia odorata scribere neglexissent; demum ex Neotericis non pauci nimiã

cre-

credulitate norandi essent, eò quòd satis temerè antiquitùs illa non agnita esse crediderint, scripserintque. Atqui ea coniectura haud tanti facienda est, vt pro ipsa egregias hasce animas offendere, aut turbare debeamus; cur autem tot seculis homines ea latuerint, non facilè docere est. Libauius quidem de Ambra loco iam citato *Mirum est*, inquit, *tam pretiosam rem, & nobilem viribus, non innotuisse Veteribus Græcis, & Latinis, cum tamen non cessarent illi omnem penè mundi angulum excutere, & Alexandro Duce tota fere patuerit India. Aetius eius meminit, vt & Simeon Sethi, sed recentioribus adnumerantur. Procul dubio inter vnguenta Darii fuit, sed non agnita, Barbaris sua bona occultantibus, vel Græcis, belli causa, non aromatum in eas regiones profectis, negligentibus. Mauritani, seu Arabes tandem eam in commentaria retulerunt, ex quibus cœpit innotescere.* Sed quid obstat, quin etiam dicamus ambraceos fontes diù in terræ visceribus latitasse; erupisse tandem, (licet serò) vt reliquæ scaturigites lacusque erumpere sępè consueuerunt, à terræ nimirum motibus, aliaue consimili vi occultas eas latebras disrumpente? vt videre est apud Libauium præcitantum cap. 2. Incertæ tamen coniecturæ hæ sunt, & quæ nil penitus certi docere queant.

Maneat igitur in sua virilitate validita-

teque Opobalſami odor, & Terebintho dumtaxat atque Thuri proximus ſpiret; iiſque ea in re fides habeatur, qui non coniecturalibus argumentis, quæ perrarò exactam certitudinem pariunt;ſed ſenſata, omnique luce clariore veritate aromatis huius hiſtoriam contexerunt.

Laudo interim doctiſſimi atque amiciſſimi Viri ingenioſiſſimam coniecturam; exoſculor variam cuiuſcunque generis, humanioris præſertim literaturæ, eruditionem; ſolidiorem tamen in propoſitionibus hiſce deſidero veritatem; atque hæc pauca honoris gratia nobis iam dicta ſufficiant

Concludamus igitur quòd ſi Moſchum, Ambarum atque Zibethum, quemadmodum nos, Antiquitas cognouiſſet; quæ ſubliminori quadam ſorte, & vi propemodum incredibili cætera cuncta odorata, non modò continent, ſed tam longè excellunt, vt nullatenus inter ſe comparanda veniant; tanto vtique ſuperſediſſent labori, inanique ſtudio in vnguentis tot modis permiſcendis, eaque omnia aromata ad Pharmacopæos pro antidotis,& ad coquinariam pro cibis condiendis relegaſſent, vt optimè expreſſit Matthiolus in epiſt. ad Martinum Guidottinum lib.5. citato,vbi ſic habet: *Cum Moſcho, Ambaro, & Zibetho Antiqui deſtituerentur, excogitarunt etiam ipſi aromatis omnium ſuauiſſimis*

mis parare odoramenta, quibus postea dilicata vterentur Mulieres; quorum posthac exoluisse vsum crediderim, simul ac Moschum, Ambarum, & Zibethum afferri cœperunt: cumque illis suauiora, odoratiora, pretiosioraq́; haberentur; nil mirum si neglectis illis secuta posteritas, priorum loco hæc in vsum vocauerint. Hæc Matthiolus protulit agens de vnguento Nardino antiquitùs omnium pretiosissimo, quod Opobalsamum etiam inter cætera excipiebat.

Laudibus itaque non vulgaribus prisci Autores ea odorata extulerunt pro conditione seculi illius, cum nihil in eo genere sublimius haberent: ex quo Theophrast. lib.9. de hist. cap.2. eadem ratione Terebinthi resinam gratissimam dixit; cum tamen nostro hoc æuo vix eam in medicamentis homines ferre ac tolerare valeãt: Sic glandes olim laudatior mortalium cibus extitit, frugibus non dum repertis.

Neque Myrrha ea electa tantam de odore suo opinionem excitet, vt postmodum visa atque olfacta, haud vera credatur: licet etenim tam frequens in vnguentis apud Veteres illa immixta sit, vt nomen ijsdem tribuerit, referente Athen. Deipnosoph. lib.15. apud Septal. comm. in sect.12. probl.1. vbi legitur. *Vnguentum Μῦρον dictum quasi Μύῤῥον ab Æolica voce Μύῤῥα, quæ Myrrham significat: nam quia pleraq; vnguenta mixta Myrrha componuntur;*

nuntur ; quædam etiam sola Myrrha constant vt Stacte ; vsus obtinuit, vt ἀπὸ τῆς Μύῤῥας omnia vnguenta Μύῤῥα nominarentur. Nihilominus quæ electa dicebatur, siue purissima fuerit, nullam passa mixtionem, nulla vi è suo caudice elicita, sed calore Solis spontè exsudata; siue selectior fuerit ac tenuior pars è pingui recentique Myrrha prælo expressa, quā Stacte ἀπὸ τοῦ στάζειν quod est, stillare, appellarunt: est namque pretiosum quoddam è Myrrha stillamentum, quam aliqui Guttam pariter dixerunt; certè quòdcunque ex his fuerit, non nisi Myrrham redolere poterat, cum, vt suprà diximus, nihil possit aliquid suprà suam naturam, neque magis minusque variet speciem: Neque planè desunt, qui liquorem illum satis benè olentem, Styracem liquidam officinis nuncupatam, celebre antiquorum Stacte esse, nec omninò præter rationem arbitrantur; vt videri potest apud Brasauol. in exam. simpl. & Leuin. lemn. in explicat. similit. ex herbis in Biblijs cap. 21. tametsi Matthiolus occidētale ac Peruanum Balsamum Stacte esse maluerit.

Atque vt demum ij, qui Priscorum Myropoliam tanti faciunt, plenius quandoq; intelligant, quanto in errore versentur; ad Chymiatros, omnium sagacissimos, mittendi sunt, qui summo conatu abdictiora, quæque ex intimioribus naturæ penetrali-

bus

bus eruere consueuerunt; à quibus discent vtique quot odorum thesauris præsens hoc seculum gaudeat; non plurium quidem, vulgariumque mixtione, sed vna tantùm ab impuritatibus, aut inodoratis partibus separatione elaboratis: nam, vt cætera iam suauissima odoramenta prætereā, quæ ex Iasminis, Theophrasto, Dioscoridi, omnique antiquitati ignotis, vt multorum opinio est, ex Aurantiorum, Limoniorumque floribus, Citrijq; corticibus, alijsq; huiuscemodi extrahunt, quæ discessuram mox animam retinere, spiritumque exinanitum reficere miris modis valent; ex immensa Rosarum quantitate paucissimum, pretiosissimumq; oleum colligunt, tam validi odoris, tantæque virtutis, vt vnica eius guttula satis copiosam aquam, aut saccari quantitatem non mediocrem, odoratissimam reddere, ac singularibus exornare virtutibus apta sit.

Sed quid dicemus ad ea, quæ è Poetarum penu tanto apparatu depromuntur? Non est, vt puto, cur de ijs admodum solliciti simus; cum notissimum fit, illos nihil minus profiteri, quam veritatem; ne Historici potius, quàm Poetę videantur. Præclare cum ijs agitur, si verisimile quippiam proferant, vt fidem aliquam extorqueant à legentibus. Speciosum nomen, numerosumque, pangendis ver-

sit us peropportunum, pluris apud illos interdum valet, vt celebretur, quàm ipsamet rei perfectio atque sublimitas; nec sine excessu quicquam eloquuntur; ex quo dixit ille, etsi alia fortassè mente,

. . . . . Mediocribus esse Poetis,

Non homines, non Dij, non concessere columnæ.

& tamen in Balsami laudibus satis moderatè se gesserint: nam si adductæ autoritates benè perpendantur, vix aliud eos proferre videbimus, nisi quòd benè oleat; tametsi Martialis Balsamici odoris naturam propiùs se attigisse visus sit, cum dixit

Balsama me capiunt; hac sunt vnguenta Virorum,

Delicias Nini vos redolete Nurus.

Validus namque, vehemens, atque acutus recentissimi Opobalsami odor est: Vnde Cornelius à Lapide suis ad Eccles. commentarijs sect. 2. doctissimè disseruit. *Balsami odor virtutem habet masculam & fortem; quò circa Balsamum velut virile & generosum, reliquisque vnguentis præcellens, viris adhibere solebant, cum fœminis daretur Amomum Assyrium, aliaque id genus delicata vnguenta*: ex Socratis enim dicto apud Xenophontem, vt refert Athen.Deipnosoph. lib. 15. *Vt alia vestis Mulierem decet, alia Virum; sic odor alius Fœminis conuenit, alius Viris*. Non est ergo cur tantam suauitatem in Opobalsamo

mo expectemus, neque adeo in delicijs habendum est, vt suprà vidimus; cum ad medendum potius quàm ad delectandum fuerit à natura productum. Auicenna quidem lib. 2. tract. 2. cap. 84. *Balsamus*, inquit, *est arbor Ægypti, cuius folia & odor Rutæ similantur.* Si Rutæ accedit, non video quid sublimitatis eius odor habere possit: Crediderim tamen in vnguentis primas antiquitùs tenuisse, eò quòd, cum Resina aut Gummi, vt Plinius refert lib. 13. cap. 1., in ijsdem plerumq; adijceretur ad retinendum in corpore odorem celerrimè alioqui euolaturum, nisi hæc adderentur; cumq; admodum liquida tenuisque sit ea lachryma, odoratis pulujsculis excipiendis erat peropportuna, nec nimis densam systasim præstabat vnguentis, nec alios nimiùm opprimebat odores, occultabatq; cum breui hebetetur tempore, vt docuit Alpin. dialog. cap. 3.

Minùs adhuc obstant, quæ ex Ecclesiastico deducta sunt; vtuntur siquidem Sacræ literæ odorum similitudinibus ad virtutum prærogatiuas, aliaque pietatis opera exprimenda, quæ optimam vndique famam effundunt eo pacto, quo odorata vndequaq; odoratum emittere halitum consueuerunt: ac quemadmodum mortales ijs oblectantur; sic Deum suo modo his oblectari censendum est: odor

enim

enim suauitatis Deo est Cor, quod glorificat eum, qui ipsum fecit; neque attendunt excellentiam odoris: quamobrem eodē Eccl. cap. 24. non modò Cinnamomi Diuinus Vates meminit, atque Balsami; sed etiam Galbani; quod quàm bene oleat, quisque per se iudicare potest; nisi tamen cum Rondeletio dicere velimus trac. de Ther. cap. de Myrrha. *Veteres non adeò dilicatos fuisse, atque nos sumus; & quod nobis malè olet vt Myrrha; illis benè atque suauiter oluisse: quod inde probari potest, quòd in suis vnguentis ad delicias paratis, Galbanum admiscebant, quod haud dubiè, foetidi admodum est odoris.*

Cui tamen respondendū puto iniquè admodum eos cum vetustate agere, quicumq; tam hebetis sensus Veteres fuisse autumant, vt foetida pro odoratis inter delicias habuisse arbitrentur. Cur igitur, inquies, Galbanum & Myrrham, grauis alioqui odoris, pretiosis vnguentis immiscuere? Summa id cum ratione, singulariq; artificio ab ipsis factum est: cum etenim artificiosā odoramenta in duplici essent differentia, sicca videlicet & puluerulenta, diapasmata dicta; humida vt olea & vnguenta; omnis compositionis ratio in postremis hisce ad odorum à dissipatione praeseruationem commodumque vsum comparata erat; vnde oleagineis plerumq; vtebantur, vt ex Plinio adnotatum

paulò

paulò ante fuit, latiusq; apud Theophrastum docetur citato pluries libro de odoribus; etsi propter densitatem seu crassitiem atque pinguedinem, minus concipiendis odoribus opportuna hæc essent: eligebāt tamen tenuiora minusq; pinguia, vt è glande myrepsica expressum; quam Ægyptiam, & Syriacam appellat ibidem Theoph., vulgò vnguentaria eò quòd parandis vnguentis aptissima sit; eius namq; oleum, quod balaninum Græca voce appellant, præter tenuitatem, hoc etiam proprium, ac singulare habet, vt magmati immixtum, nunquam vetustate rancescat: Ea insuper olea peculiari studio præparabant, vt excipiendis odoribus aptiora essent: prius enim, quàm pretiosiora aromata, à quorum odoribus vnguentum præcipuè commendari debebat, addijcerent; viliora quædam in satis magna quantitate inijciebant, vt Galbanum & Myrrham, quorum ope oleum illud aptum vnguento crassamentum accipiebat, & ab omni prorsùs lentore pinguiq; parte exuebatur, dum arida hæc eam omnem alliciebant: atque ita tenuius redditum, & pinguedine exutum, promptius postremos quoscunque hauriebat odores; priorum autem illorum odor, vtpotè pingui, vias vndique obstruenti, obuolutus, obruebatur penitus, atque latebat; ita vt meritò, licet minus esset,

quod

quod nouissimè additum erat, odorem tamen exuperaret, cum in imbecillius incideret & ad concipiendum paratius; vt perbelle explicatur à Theophrasto aureo de odoribus libello, dum problematis illius rationem reddit, cur scilicet aromata, quæ antè inijciuntur, quamuis odorata, oleum tamē ad odorem ducendum accommodatius præstant: inquit enim; *Vtuntur aromatis in omnibus vnguentarij, partim his oleum adstringentes*, hoc est inspessātes ad systasim vnguēto aptā comparandum *partim odoris medicamento imbuentes: oleum enim omne adstringunt, vt odorem magis combibat, velut vellera infecturam. Adstringitur porrò imbecillioribus aromatis; deinde id posteà inijcitur, cuius odorem concipi velint: quicquid enim nouissimum additur, quamuis minus; potentissimum est; vt si in heminam libra myrrha, deinde eodem cinnamomi drachma duæ mittantur, &c. Siccæ enim illa pinguitudinem omnem alliciunt ad se se; & receptāt; ex quo & perpetuum eius lentorem discutiunt; ita eliquatum ad raritatem, & pingui liberatum, in quo maximè eius consistit odor, iam nihil refragans, promptius quicquid inijcitur, haurit; odor autem aromatum fluxus & euanidus redditur, vtpotè in pingui consumptus, quo etiam continetur, vndique vias omnes obsidente.*

Sed dum Veterum odoramenta cum ca-

cæteris huius nostri æui comparamus, indignatur quodammodo physicarum oppugnat. Autor; quemadinodum eadem de causa nos acerbè obiurgauit pag. 275. & sequentibus, eò scilicet, quòd comparatio ineptè fiat inter illa, quæ specie non identificantur: antiqui autem de vnguentis egerunt ac de alijs odoratis in ordine ad medicamenta, non ad odores; secus quàm nos, qui ea consideramus, vt odorata sunt, & odoratui grata: illi enim non habebant neque Myropolas, neque Alutarios.

Attamen miror hominem cætera eruditum inter pauca adeò verba plures incautè naufragasse: verùm qui pauca respiciunt, de facili enunciant, inquit Arist. 1. de gen. & corrupt. Quis vnquam dubitauit posse genus cum genere, speciem cum specie, indiuiduum cum indiuiduo comparari, modò hæc aliquid inter se habeant, in quo vniuocè conueniant? Docuit id Aristot. lib. 7. physic. à text. 21. & deinceps, vbi leges tradit comparationis; asseritque formam, in qua futura est comparatio, debere esse vniuocam, & specie vnam; non ea, inter quæ collatio fit, vt Equus, & Canis, qui diuersæ sunt speciei, si in albedine conueniant, aut alia huiusmodi accidentaria re, possunt rectè secundum hanc rationem inter se comparari, vt cuique notissimum est: Quamobrem

odo-

odorata quæcuuque, siue ad medendum, siue ad oblectandum elaborata, quatenus odorifera sunt, optimè inter se comparari poterunt. Num autem Veteres de vnguentis egerint, alijsq; odoratis in ordine ad medicamenta; an potius ad sensuum titillationem, testis sit Plin. nat. hist. lib. 13. in procemio, & cap. 1. & 3., vbi satis liquet vnguenta non modò ab hominum luxu reperta fuisse; sed etiam ob nimium luxum non semel fuisse prohibita. *Summa commendatio vnguentorum est*, inquit cap. 3, *vt transeunte fœmina, odor inuitet etiam aliud agentes*. Cæterum, quòd flores, & Aromata ad necessarias vtilitates, non ad deliciarum insolentiam à summo Opifice facta fuerint, pro certissimo habemus; Vndè Dioscorides, & Galenus, cum viderent in nõnullis corporis vitijs vnguenta prodesse, de ijs, vt medicamenta sunt, egerunt, prout inficiari non potest: Hinc tamen non fit, quin primi illorum inuentores odorem primò in ijs quęsiuerint, pręcipuumque eorum vsum in odore fuisse apud Veteres, vt docet Plinius ibidem, doletque Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 2. c. 8. Considerari autem vt medicamentum, vel vt oblectamentum, id haud minuit, aut auget odorem. At vnde sciuit antiqua ætate homines Myropolis atque vnguentarijs caruisse? Narrat Athenæus Deipnos. lib. 15. à Lacedemonijs Vnguentarios

tarios Sparta eiectos, quòd oleum corrũperent; ex quo Alexandrinus loco iam citato, *quamobrem rectè*, inquit, *mihi videntur nonnulli, cum agreferrent tan um studij in vnguenta conferri, vt vel virilitatem ipsam effœminarent, & eorum artifices, nempè vnguentarios, à ciuitatibus, quæ bonis legibus, & institutis reguntur, expellere*. Vndè P. Licinius Crassus, & Iul us Cæsar censores, ne quis vnguenta exotica venderet; pœnis inhibuerunt, vt refert Alex. ab Alex. genial. lib. 3. cap. 11. *Myropolas solicito omnes, vbicunq; vnguentum lepidum*, inquit Plaut. in Cass. & in Amp. *Perreptaui gymnasia, Miropolia, &c.* & tandem Iuuenal. satyr. 2. satis manifestè ostendit complures tunc extitisse vnguentarias officinas, dum dixit.

.... Sed tamen vnde
Hæc emis, hirsuto spirant Opobalsama collo
Quæ tibi, ne pudeat Dominum monstrare tabernæ;

Verùm notiora hæc sunt, quàm vt à Viro erudito in dubium reuocari debeant.

Superest iam, vt accedamus ad alium nõ ignobilem Autorem anonynum illum; qui sermonis eloquentiam magis, quàm veritatem hac in re affectasse videtur. Hic in penitiores liquoris huius recessus mentis acie penetrauit, manantes inde proprietates sedulò expendit, indeque validius aliud telum se eruere, & in Opobalsamum

con-

contorquere, lethaliterque confodere imaginatus est: nam cum inter præcipuas notas, quibus huius lachrymæ synceritatem, veritatemq; explorari perhibetur; ex communiori eorum, qui rectè sentiunt, opinione sit, quòd super aquam iniecta, in tenuissimum velut vaporem illicò dissoluatur, qui mox in eiusdem aquæ superficie lacteam in laminam expanditur, cogiturq; supernatans; quod quidem in hac controuersa ad amussim obseruatur; hinc tamen Anonymus iste eius potius falsitatem arguere conatus est, scilicet, quòd in aqua supernatet; *cum Opobalsamum, inquit, vno omnium voto liquor sit, siue succus, non oleum non resina: neque è classicis Autoribus est, qui illud vti resinosum describat, præter vnum ex infima classe Ponam, qui hoc affirmare ausus est: cui tamen, quantum fidei præstare debeamus, indicio doctissimorum arbitrorum committitur.*

Verùm nimis acerba hæc inuectio est in hominem iam vita functum, qui olim non sine spectata virtutis laude vixit, vt eius ingenij monumenta testantur: à pietate proinde non alienum erit, tam benè de medica facultate promeritum, & iniustè lacessitum, pro veritate tueri. Auicêna Arabû Princeps, quê proinde nemo classicum esse negabit, lib. 2. trac. 2. cap.84. Opobalsamum pluries oleum appellauit, nec, nisi oleo vitiari asseruit; cum tamen vitia-

vitiatores, vt eorum fraus tutius lateat, rei illius naturam, quoad possunt, imitari nitantur. Auerroes pariter 5.collig.c.42. oleum nuncupauit. Mesues verò lib.3.de antidot. Balsameleon, hoc est, oleum Balsami, & pinguem lachrymam, & Balsami pinguedinem dixit; Serapio demum de simpl. cap. 160. *Oleum Balsami*, inquit, *subtilioris virtutis est, quàm arbor*. Plinius, *lachrymæ probatio est, vt sit pinguis*. Alpinus tandem, qui exactius cæteris omnibns liquorem hunc nouit, examinauitque, *Succus resinosus est*, inquit, *inter resinasq; sine errore recenseri*. Vtq; hæc veritas ratione pariter fulciatur, probanda quoque est ex doctrina à Theophrasto de arborum stillamentis vniuersim tradita lib. 9. de hist. plant. cap. 1. his verbis. *Quæcunq; aliqua pinguedine constant, odorata esse notantur; quæ contrà pinguedine carent; hæc sine odore proueniunt, vt Gummi, & Amygdalæ lachryma*. Cum ergo Opobalsamum ad miraculum vsque odoratum asserat Scriptor hic, ita vt languentes sponsos hoc vno refici nuptiarum die voluerit, cur obsecro neque oleum, neque resina dicendum erit? Hinc Cæsalpin.lib.1.de med. facul. cap.13. *Multitudo exhalationis odorata magis reperitur in pingui substantia, vt in lachrymis, Thure, Myrrha, Balsamo: Ambra quoque odoratissima pinguedo est terræ; & Electrum, & Camphora genera bituminis*.

minis. Moschus & Zibethum non sine pinguedine sunt animalium illa ferentium. Xiloaloes lignum est resinosum, & alia pleraque ligna odorata: maximè enim congruit oderis natura cum pinguedine; nam optimè percepta ad naturam exhalationis. Ac tandem, ne quid ad rei huius euidentiam desiderari queat, & adeò iniquè notatum Ponam, Virum clarissimum à Carolo Clusio appellatum, defensum omninò relinquamus; videndum iam quid ea in re memoriæ prodiderit magnus Baronius tom. 3. ann. 324. *Abutebatur Eliogabalus, profusissimus Principum, Balsami, summi pretij oleo; &, quod scribit Lampridius, in Lucernis exhibuit; sed per Constantinum primò inuenitur cultui sacra religionis applicitum;* cum paulò superius dixisset: *In medio fontis*, vbi videlicet Constantinus baptizatus fuerat, *columna porphyretica, qua portat phyalam ex auro purissimo, pensantem libras quinquaginta, vbi ardent Balsami libra ducenta*, & tom. 11. ann. 1061. narrat de quodam Pontifice, qui Apostolicæ Sedis prædium in Babyloniæ partibus alienauit, ex quo tãtum Balsami colligebatur, vt sufficeret lampadi, quæ indeficiente flamma ante Altare Principis Apostolorum rutilabat; vnde colapho primùm à grandæuo quodam sene percussus est, qui ante SS. Apostolorum sepulchrum ei apparuit, ac paulò deinde extinctus fuit. Si ergo Opobalsamum

samum ardebat, oleum aut pinguem resinam illud esse inficiari non poterit.

At cum, vno posito absurdo, impossibile sit alia plura non subsequi, iterum labi videtur Autor hic anonymus, asserens ex Dioscoride, Plinio, Simeone Sethi, & Saladino verum Opobalsamum in aquam iniectum, non diffundi & supernatare, sed subsidere potius: nã si resinosum est, oleosum & leue, vt supernatet necesse est; quod præcipuorum Autorum suffragio sentiendum esse, iam ostendam. Dioscorides primùm, *Succi probatio est*, inquit, *vt sit dilui facilis, & quòd in aqua & lacte iniectus, celerrime liquetur*. Quid obsecro aliud est disijci & liquari, quàm in tenuissimum velut vaporem dissolui, vndequaque diffundi, vt sursùm denique ob leuitatem feratur? subdit. *Ne olei modo innatet.* per spiras videlicet, & maculas sese conuoluens, sed in leuem potius, tenuemq; membranã se se dilatet. Pergit. *Hallucinantur qui in aquã iniectũ, pessum ire, & ad ima sidere arbitrãtur, posteà dissipatum, supernatare:* nam quòd recens est, ac proindè optimum; parùm aut nihil pessum it, ac descendit; sed statim disijcitur, cum nihil à vetustate compactum, obduratumq; fuerit; quod namq; inueterauit, & quinquenniũ longè superat, cogitur, ac paulatim Terebinthinæ instar incrassatur: vnde tum proijcientis impulsu, tũ sua densitate ima petit, atq; residet, nec nisi ali-

quo

quo poſt tempore diluitur, diſijciturq; concretione nimirũ reluctante. Auicenna verò ſic docet. *Experientia olei ipſius eſt permixtio eius cum aqua, & inſpiſſatio ipſius, & conſeruatio ſuæ ſoliditatis in aqua.* In aquam ſiquidem iniectus ſuccus iſte, diſijcitur illicò, ac per totam diffunditur aquam, atque hoc pacto ei permiſcetur: mox in aquæ ſuperficie in telam cogitur, atque inſpiſſatur; denſatur autem permanens ita, vt totus poſtmodum inde extrahi poſſit. Quod autem recentiſſimus hic ſuccus ſuper aquam enatet, neque ipſemet negauit Simeon Sethi, qui tamen pro aduerſa parte adducitur: cumq; in eo conueniant omnes, quòd tenuiſſimarum partium ſit oleum iſtud, leuiſſimumque; omnis ratio ſuadet ad ſupera ex ſui natura ferri, poſt quàm in aqua dilutum fuerit atque diſiectum. Hinc ij omnes, qui ſenſu exploratam de Opobalſamo cognitionem habuerunt, vt Alpinus, Guibertus, alijque; vnanimes fatentur, vetuſtate confectum, plurimùmque increſſatum Opobalſamum ad ima ferri, ibique conglobatum reſidere, cum aereis tunc, ac tenuioribus ſpiritibus deſtitutum remanſerit; non illud, quod recens eſt, tenui prægnans ſubſtantia, dilui diſijcique facile; ex quo ſtatim ſuper aquam fluitat, vt explicatum fuit.

Sed cum Anonymus iſte tanti faciat Saladini autoritatem, aſſerentis Opobalſamum

mum conglutinari ad modum vnius perlæ rotundæ (sic loquitur) in imo cyathi aqua pleni; cur eiusdem autoritatem secutus ibidem non est in Opobalsami odore, alijsque proprietatibus recensendis? docens etenim Saladinus vt nam optimum Balsamum cognoscatur; sic disserit. *Dico quòd cognoscitur in colore, odore, sapore, ardore, & pondere. In colore, quia est liquor aliqualiter similis oleo, & viscosior, ad aliqualem rubedinem tendens. In odore, quia est odoris aliqualiter rancidi non placibilis. In sapore, quia habet saporem pinguedinis Gallinæ antiquatæ, non recentis & ardet in gutture ac si esset oleum forte, & antiquum. In ardore, quia si in oculis ponatur vna gutta de eo, tantum ardorem in oculo generat, ac si lixiuium forte esset in oculo per spatium vnius horæ. In pondere cognoscitur, quia si vna gutta ponatur de eo in vno cyatho pleno aqua, non spargitur sicut oleum in aqua; immò conglutinatur & condensatur ad modum vnius perlæ rotundæ, & immediatè petit fundum.* Hic certè, vt videtur, non aliud aut vidit, aut nouit Balsamum, quam centum annorum oleum: licet Fallop. in Dioscor. c. de Balsquo ad illam raciditatem nonnihil ei assentiri visus sit: atque ab huius notæ Autoribus nobilis istius lachrymæ naturā quærat ingenuus animus, veritatis auidus, nec cupidus potius altercandi?

Sed obstat adhuc Plinij autoritas, ex

cuius sentẽtia synceri Opobalsami probatio est, vt eius gutta in tepida aqua sidat ad ima vasis. Verùm iam satis Alpinus demonstrauit in quàm multis Plinius circà Balsami naturam deceptus sit; licet in alijs carpendis audacior fortasse fuerit, quàm par erat; asserens hanc plantam alia prorsùs esse natura, quàm vel Græci, vel Latini eò vsq; prodiderint: & postquã omnes mendacio notauit, vitibus similiorem eam arbusculam dixit, quàm Myrtho, cum sarmenta dumtaxat cõsiderasset, quibus vitem æmulatur, non frondes, quibus Myrthum non incongruè refert: quapropter non sine ratione nos vereri contingit, Plinium neque Balsamum, neq; Opobalsamum vnquam vidisse: sed ea literis congnasse tantùm, quæ apud alios aut legerat, aut audierat: dolendumq; proinde est, fidem nostram ex aliorum plerumque pendere mendacijs. Nec putet quis non eo me honoris loco Plinium habere, quo haberi dignus est: scio etenim quanti faciendus sit hic Autor, de quo sic Rhodiginus lib.7. antiq. cap.13. *Plinius ille doctissimus, de quo persuasissimum est, indoctos esse, quibus ille non sapit.* Sed cum plerumq; ex aliorum relatione loquatur, si quid interdum deliquerit, alijs potius id imputandum erit.

Pergit Anonymus, & ex Plinianis ijs verbis, *Et si Metopio adulterata est, circulo candido*

dido cingitur, sic ratiocinatur. *Ex quibus colligitur, quòd lactescere non est synceri Opobalsami nota, sed alterius, quod succo arboris, è qua Galbanum stillat, adulteratum fuit.* Sed vitiosa illatio hæc est: non enim simpliciter *lactescere*, adulterati nota est; siquidem, vt recte innuit Dioscorides, *syncerus in aqua & lacte colore lactescit*. Sed circulo candido cingi, adulterari nota est, eò quòd hoc proprium sit oleorum, quorum admixtio ex illa circulatione depromitur, cum Opobalsamum non per circulos, & spiras, sed latè in lacteam laminam expandatur. Nec Metopio Galbanum ibi significari possibile est, succum videlicet, non ex arbore, vt voluit scriptor iste, sed ex ferulacea planta emanantem: nam densior Galbani essentia, grauisque odor haud benè Opobalsamum æmulantur, quod valide beneq; olet; sed potius Ægyptium illud vnguentum, quod Metopium patrio nomine appellari autor est Dioscor. lib. 1. cap. 60. quod Carpobalsamum recipere oleoq, insuauium amygdalarum confici nonnulli prodidere: Ægyptio, inquam, eo vnguento Opobalsamum antiquitùs adulterari consueuisse, rationabile magis est. Hùc vsque cum Anonymo.

Reliquum iam est, vt ea discutiamus, in quibus princeps quæstionis nostræ cardo versatur: etenim dicunt postremò assertum Opobalsamum ijs destitui notis, quæ

à fide dignis Autoribus, vt Theophrasto, & Dioscoride, vero puroq; Opobalsamo tribuuntur: laneum namq; pannum inficit, si ei instilletur, maculam nullo delebilem tempore relinquens: neque lac coagulat, prout deberet; ex quo falsum vitiatumq; omni procul dubio dicendum est.

Hoc argumentum Achilles me iudice, dici posset, si eius præmissæ meram veritatem continerent; quæ proinde nonnihil examinandæ sunt, vt videamus num intellectus veritatis auidus eorum opinioni adhærere vllo pacto queat.

Supponendũ ergo vt certissimũ est, proprietates, quæ naturalibus rebus à priscis Autoribus adscribuntur, summa cautione explorandas esse, vt promissis respõdeant: alioqui non semel id frustrà tentabimus, videbimurq; ab ijs delusi: scribunt namq; exempli gratia, Succinum, & Adamantem paleam trahere; Verùm, nisi, non integrã quidẽ paleam, sed tenuissimam eius portiunculam accipias; ipsum prætereà Succinum, & Adamantem diligenter confrices quo vsque incalescant, propèque admoueas, tractio nequaquam apparebit: Quod nos, quibus Medicinam facere, nescio quo sidere contigit, dum passiuis actiua applicare cogimur, quotidie experimur: perrarò enim ea felicitate naturalia agunt, qua à Scriptoribus prædicantur: nec tamen, vbi aliquid non exactè re-

respondet, vt falsum repente proclamandum est: tali enim pacto Elephantum, quem præteritis annis, tanto omnium applausu hìc Romæ conspeximus, neutiquã verum dixissemus; articulatos siquidem habebat arctus, cruribusq; ad nutum flectebatur; secùs quàm vulgo hactenus persuasum fuerat. Chamæleonem prætereã, quẽ Eminentissimi Principis Francisci Cardinalis Barberini singulari benignitate iam contemplati sumus, velut minus verum, abijciemus; nam non aere nutritur, vt Plin. nat. hist. lib. 28. cap. 8. nobis imposuerat, sed Muscas studiosè venatur, ijsq; fruitur. Viuit nunc Salamandra hìc Romę apud Franciscum Coruinum, naturalium rerum indagatorem solertissimum; quæ tamen, contactum ignem non extinguit, nec illæsa per illum deambulat, vt scilicet eam facere Aristotel. lib. 5. de histor. anim. cap. 9., & Plinius lib. 10. cap. 67. asseruerant. Moschum eadem ratione reijciemus; naribus namque admotus, numquam fermè sanguinem odoris vehementia elicit, vt Scriptores de ipso insinuarant. At hoc est nimis ex syngrapha agere: neque enim Scriptorum verbis ita inhęrendum est, quim eorum mens potiùs spectetur; & quod dicunt, cum salis mica accipiatur; aut si quid deterius, aut perperàm annotatum ab ijs sit, ad veritatis normam redigatur; Scriptores etenim,

licet grauissimi, non omnia ex propria scientia literis consignasse putandum est; sed multa ex imperitissimorum etiam hominum relatione, vt de se ipso ingenuè fatetur Theophrastus; quæ tamen, prout veritas sese subinde cognoscendam effert, corrigenda sunt; nec obstinatis animis in prima sententia perpetuò persistendum: nam velut iuxtà Epicharmum è præcipuis sapientiæ neruis est, nil temerè credere; ita periculo plenum videtur cuncta ceruicosè pernegare: eaq; propter, quod gratiæ Veteribus habendum est ob diligentiam sedulitatemq; in omnibus inuestigandis,scribendisq; ; illud nos libertatis retinebimus in iudicando ob veritatem certius cognoscendam. Sed ad rem modo redeamus.

Præcipiunt porrò Veteres, & optimo quidem iure, ad explorandã Opobalsami synceritatem, vt suprà laneum pannum instilletur; nam cum oleis plerumque, & vnguentis illud vitiari consueuerit; si quid huiuscemodi admixtum habeat,maculam non simplici adhæsione, sed olei more indelebilem imprimet, quæ vndequaque diffunditur, altius penetrat, in dies magis augetur; cum si adulteratum non fuerit; vtpotè glutinosum, adhærebit quidem panno; sed non altè penetrabit,non dilatabitur;quod si calente abluatur aqua, diluetur & euanescet; vel, si illotum relin-

relinquatur, breui dein tempore ſicceſcet, tenueſq; decidet in laminas: quod quidem eò facilius præſtabit, quò recentius fuerit; nam vetuſtate incraſſatur redditurq; viſcidius. Verùm ſi ſuprà laneam veſtem, non inſtilles, ſed affatim copioſèq; effundas; tum digitis comprimendo, vt aduerſarij faciunt, intrà panni poroſitates vi adigas; vtiq; nec lotione amoueri, niſi quàm difficillimè poterit, nec longo etiam tempore exſiccari, vt quauis alia in re lentore prædita poterit per ſe quiſque experiri. Cautè ergo experimentum illud tentandum eſt, & ex voto ſuccedet, prout non paucis ſucceſſit.

Inſurgit hìc ſuo more phyſicarum oppugn. Autor, & ſingulari quadam explicatione pag. 156. ſic differit *Sed cum inſtillare apud Latinos ſit ex alto guttatim effundere, ſeu intrò fundere ad penetrationem; vnde Galenus ad alterandum cerebrum, oſſeo & duro cranio tectum, præcipit ſtillicidium, nempè vt medicamentum humidum ex alto effundatur, ac veluti fontis ritu illidat: quippe penitius intrò ab ictu compellitur, &c. veriſimile eſt Dioſcoridem præcipiſſe, vt Opobalſamum tam diù inſtillaretur in pannum laneum, donec penetraret, & intimius per omnes lanei panni partes intrinſecas ſe ſe inſinuaret.* Itaque, Vir iſte confundit illud *inſtillare* cum illo ſtillicidio, quod embrocham Medici appellant; vbi

scilicet super aliquam partem fit ex alto humoris alicuius irrigatio; quæ eò vsque continuari debet, donec ex assiduo cadentis humoris impulsu humor ad penitiores partes adigatur: At pluris sanè cōstabit hoc periculum facere, quàm Opobalsamum ipsum cuicunque medico vsui adhibere; nam stillicidium huiuscemodi non poterit eousque continuari sine cōsiderabili lachrymæ illius effusione, quæ ex eiusdem Autoris decreto, tota in halitum euolatura est, ad hoc vt omnis ea macula obliteretur: cumque tanti illa valeat, vt duplicato argenti pondere vendatur; quis vnquā tāta iactura Opobalsami synceritatem explorare audebit? Verùm quid iuuat tot se ambagibus irretire, vbi textus tam clarè loquitur? Instillare enim quid aliud vnquam apud Latinos significauit, quàm guttatim infundere? Consule si libet vel triuiales lexicographos. Cur igitur additur illud, *ex alto*? Si Opobalsamum oleo, vel alterius pinguedinis admixtione vitiatum sit, indigebit ne styllicidio ad penetrandum? Non ne exigua quævis olei guttula suprà pannum effusa quaqua versus penetrat, se seq; diffundit? Sed quemadmodum Sol à nubibus intercipitur quidem, sed nunquam penitus offuscatur; ita veritas interdum laborare potest; extingui verò nequaquam.

Dicunt

Dicunt insuper lac à vero Opobalsamo coagulari, si in ipsum scilicet instilletur: quod pariter discrete intelligendum est: neque enim vt vulgare coagulum; neque tam validè cogit, siue intensiuè id intelligatur, siue extensiuè, vt ijmet omnes testantur, qui in Opobalsamo hactenus omnia ad amussim experiri potuerunt; cum non in adeò vulgarem vsum natura nobilem eam lachrymam primariò produxerit; Quamobrem Alpin. dialog. cap. 5., *Lac coagulat*, inquit, *etsi non vt coagulum facit, quia lac non perfectè coagulat; quin immò cum ipso coagulatur*. Et Vesling. in epistola superius adducta. *Lac non nisi debiliter coagulat; immò ne hoc quidem praestiterit, nisi recens, nisi spiritu etiamnum acidulo pragnans fuerit*.

Neque dicat quis se concedere non tantam densitatem parere posse in lacte, vt coagulum, intensiuè nimirum; Verùm cum ille succus suprà lac iniectus, primò ima vasis petat; mox dilutus, per totam illius lactis substantiã diffundatur, ac demum sursùm feratur ad superficiem, vt indubitatũ est; cum omnes sic lactis partes tangat, omnes pariter coagulare consentaneum rationi esset; nam licet omnes lactis partes tangat, non tamen iuxtà omnes immoratur, cum sursum continuò ascendat; actio autem fit in tempore; vtque dicebat Seneca, nihil tam vtile

eſt, vt in tranſitu proſit. In lactis autem ſuperficie, vbi diffuſum latè Opobalſamum ſiſtitur, atque in araneam telam denſatur; lac pariter, quod tangit, ſecum denſat, cogitque, haud multum infrà coagulatiua eius virtute ſe ſe extendente: Quæ vis, num in Syriaco Opobalſamo validior etiam extiterit, quàm nunc in Arabico conſpiciatur, alijs perpendendum relinquimus; cum alioqui certiſſimum ſit ex ſoli varietate, varioq; ſiderum aſpectu virtutes in plantis non parùm variari; proindeq; Arabicum iſtud Syriaci notis ſeuere examinare, non niſi diſcrimine plenum cenſendum eſt: Quapropter Alpinus dial. cap. 3. *Summum*, inquit, *ſemper errorem eſſe putaui, homines plantæ huius, ſucci, fructuum, virgarumq; cognitionem à Dioſcoride, Theophraſto, vel alijs antiquis Scriptoribus velle expoſcere, quando iſta inter eos in ſcribendo frutice, ſucco, fructibus, & virgis diuerſitas, certiſſimum ignorantiæ argumentum nobis fuerit. Ego ſum huius ſententiæ neminem illorum fortaſſe accuratè arborem hanc vidiſſe; ex audituque omnia de ijs ab ipſis prodita fuiſſe*. Hùc vſque Alpinus.

Sed quoniā quæ contra hactenùs aduectum Orientale Opobalſamum differuntur, nil penitus certi habere vidimus; operæ iam pretium erit, quid pro eodem vindicando ab altera parte afferatur, quàm bre-

breuiter percensere; vt ex accurata opinionis vtriusque ponderatione, quid hac in re agendum sit, quid sentiendum, percipere aliquo pacto valeamus. Aiunt itaque Opobalsamum istud, substantia quidem satis tenue esse, sapore subamarum, modicè mordens ac subastringens; palearem colorem ad aureum vergentem obtinere: Redolet quid medium inter Thus, & Terebinthum, cuiusmodi naturalis eius odor esse ab expertissimis Neotericis perhibetur: ac si quid Iuniperini odoris admixtum nõnulli in eo sensiunt, quod tamen non omnes admittunt; huiusmodi rei admixtione non fit, quin verum sit Opobalsamum, licet non vndequaq; syncerum esset; nec quòd non sit pro Theriaca opportunum, cum Iuniperinũ oleum Opobalsamo substitui posse ex aliorum autoritate probauerimus. Quòd si odore acutissimum non est; id prouenit, quòd non sit recentissimũ: illud enim vnum odore validissimum, acutissimumq; narrant. *Quanto autem annosior hic succus est*, inquit Alpinus dial. c. 3., *eò fit inoderatior, & ad motum segnior*. In aquam verò instillatum, diluitur, lactescit, & in telam dilatatur, densaturq; ita in eiusdem aquæ supeficie, vt totum indè extrahi valeat. Indelebilem maculam in laneo panno non relinquit, si prout decet instilletur, velut multi experti sunt. Lac itidem eo, quo debet, pacto coagulat; & à tali pro

vero Opobalsamo emptum est, vt non sine iniuria fidem ei denegare liceat: quãobrem ab ijs, quibus ius erat, summa ratione pro Theriaca approbatum fuit, cum Neotericorum expertissimorũ scriptis apprimè respondeat. Et licet Terebinthi aliquid, aut Iuniperini olei admixtum haberet, quòd tamen non creditur, cum ij, qui huius lachrymæ peritissimi sunt, nihil tale in hoc controuerso obseruauerint; mixtio non eum erroris metum inducere debet, vt quicquid ex aromatibus peregrinum affertur, respuere deinde cogamur; cum hominum fraus atque auaritia cuncta vitiet atque corrumpat: Quis Castoreum, Myrrham, Opium, aliaque huius generis pleraque Theriacam componentia, syncera se habiturum confidat? nemo tamen ea reijcit. Sic præstat Opobalsamo vti, etsi non præcipuę bonitatis esset, nec sine aliqua mixtura, (innoxia etenim miscent) quàm oleo ex Nucemyristica, quæ calidissima est, aut cæteris huiuscemodi, in quibus nullæ prorsus Opobalsami vires collucent: nam

Est quòdam prodire tenùs, si non datur vltrà.

Vtq; demum notauit Alpinus dial.cap. 2 *Balsami cognitio, præsertim Arabici, non à Dioscoride, Theophrasto, ac alijs antiquis Scriptoribus, petenda est; sed ab Ægyptijs, & Arabibus, qui loca, vbi Balsami plantæ omnium consensu olim vixerunt, habitarunt.*

Cum

Cum his tamen difficillimè animus adduci potest, vt rem omni æuo percelebrem, tot seculis Europæ inuisam, totque obnoxiam fraudibus ob lucri auiditatem, quæ tam altè hominũ mentes insedit, nunc vt veram ità facilè amplectamur: maior etenim euidẽtia ad id requiri videtur; præsertim quòd de hominum salute ac vita agatur: nam si Opobalsamum istud non recens est admodum, cur crassiorem non habet substantiam? cumq; eius natura in odore potissimum posita sit; quis nam sibi persuadeat liquorem vulgariter olentem, celebre illud esse antiquorum Opobalsamum? Expansio quidem super aquam Iuniperino etiam oleo, alijsque non paucis factitijs Balsamis communis est; lactis etiã coagulationem, si aquæ resinæ Terebinthũ admisceas cum amygdalini olei portiuncula, haud minus apparere, si huiusmodi mixtura lacti superinfundatur, prædicant: Opobalsamum verò, vt refert Gal. lib. 1. de antidot. *vel nullatenus, vel non exactè ab adulterinis secerni potest, vsque adeò falsis vera sunt vtrorumq; confusa indicia.* Ac demum, dato etiam, quod controuersus liquor verum sit Arabicum Opobalsamum; quis nos certos reddat eas habere facultates pro medico vsu, quæ Syriaco à Veteribus adscribuntur, cum syluestre maiori ex parte hoc sit, ac proinde, vt aliqui opinantur, nullius omninò virtutis.

Verùm

Verùm falluntur procul dubio, nullaq; vel ratione, vel autoritate suffulti loquuntur, qui postrema hæc asserere ausi sunt: nam cum Opobalsamum eò potissimùm in Theriaca exquiratur, quòd egregiam habeat alexiphamacam vim aduersùs venena: quãtum ea virtus vigeat in Arabico hoc liquore, satìs docuit Pausan. lib. 2. Bœotic., inquiẽs. *Arabes collecturi pro temporis ratione succum Balsami, bina singuli lignorũ flagella ad Viperas, quæ vescuntur Balsamo deferũt: quas lignis quassatis abigunt. Cõficere eas nolunt, quòd Balsamis esse consecratas existimant. Si deinceps eueniat, vt à Viperis quis mordeatur; vulnus tantùm est, vt ferro videatur inflictum; sed à metu Veneni liberi sunt; Quo enim vescuntur Viperæ vnguento maximè odorato, ita Venenum temperatur, vt ex lethifero mitius fiat*: Hoc idem repetit Rhodigin. antiq. lect. lib. 10. cap. 35. Alpinus verò, & Vislingius ipsamet experientia testantur balsamicas omnes virtutes in Arabica ea lachryma pluries se se obseruasse: atque hinc Alexandrina Theriaca tanti æstimatur; Arabico enim Opobalsamo confecta est.

Sed quod nobis negotium maximè facessit, & ex quo procul dubio tota dissentio potissimùm exorta videtur, est præconcepta de Opobalsamo aliquorum opinio, quæ adeò sublimis apparet, vt eam controuerso huic liquori aptare impossibile

fit

sit: qui tamen error non Medicorum quorundam Romanorum tantummodo est; sed alij non pauci ad eundem hunc lapidem impegere. Busbequius Imperatorum Ferdinandi & Maximiliani apud Solymanum Orator, cum in discessu ab Hally Bassa, Ægypti olim Præfecto, præstantissimum Opobalsamum dono accepisset, non dubitarunt Cæsarei Medici illud in dubium reuocare, eò quòd notis non ex toto respondere visum sit, quas Plinius requirit: tametsi certo certius sciret: (eius verbis vtor epist.4.de reb.Turc.) è fruticibus illis, qui in hortis Matheræensibus, Cayro propinquius, coluntur, profluxisse: Quapropter etiam Euangelista Quatramius eximius Botanicus, lib. de Ther. & Mitrid. *Quia Medici, inquit, nimis addicti sunt probationibus veri Opobalsami, à Dioscoride & Plinio propositis; illasq; non exactè recognoscentes in hoc liquore, qui ex Ægypto in Italiã missus est; eum reprobarũt, & reiecerunt, & ad suos dominos remiserunt*: vnde Alpinus pluries suprà citatus, liberè asseruit, vt aliàs annotatum est, Arabici Opobalsami cognitionem non à Dioscoride, Theophrasto, alijsq; antiquis Scriptoribus, esse petendam; sed ab Ægyptijs & Arabibus. Sic dial. cap.2.

Quid ergo in tanta rerum ambiguitate agendum, quæ insistenda nobis erit via, vt omnis euitetur error, neue Scyllim de-

cli-

clinare cupientes, incidamus in Caribdim; cum haud minus turpe futurũ esset, peregrinam, adeòq; exoptatam lachrymam, ex tam dissitis regionibus ad nostras oras hactenus Diuino velut muniere aduectam, inhumaniter excipere, ac reprobare, quàm fictitiam, adulteratamq; temerè incautèq; amplecti? Galeni consilium lib. 1. de antid. cap. 2. 11. & 13. omninò amplectendum existimo, vt qui in eadem prorsus difficultate olim fuit, nec per Theophrasti vel Dioscoridis traditas notas, quas optimè alioqui callebat, ab ea sese explicare valuit. Comparandum videlicet controuersum hoc cum Arabico alio Opobalsamo, si quod ab indubitatæ fidei Viro haberi possit: ijs prætereà explorandum exhibere debemus, qui Orientales plagas pluribus inhabitarunt annis, ac proinde certam liquoris huius peritiam sibi assidua inspectione comparare potuerunt, quorum nonnulli in hac vrbium luce iam degunt: Scriptoribus demum ijs habenda fides est, qui oculati olim testes extitere, & ex horum iudicio decernendum: nam Galenus lib. 1. de antid. cap. 11. *In omnibus medicinis*, inquit, *qui inter ipsas enutritus fuerit, & eas frequenter aspexerit, facilè illarum diuersitates, vel minimas etiã inueniet, atque comprehendet. At qui semel tantum, aut bis inspexerit, eas tanquã indistinctas intuetur, neque vnam ab alia inter-*

internoscere valet; cum tamen signa, quibus distinguantur, manifestissima nonnumquam habeant: illi vsque adeò exposita, qui sæpenumero conspexerit, vt per vnum eorum facilè quamq; medicinam agnoscat. Si ergo qui semel tantùm, aut bis inspexit, neque eā quidem medicamenta, quæ manifestissima habent signa, internoscere ex Galeni mente valet: quid de nobis credendum erit, aut de ijs, qui nunquam Opobalsamum inspexerunt? Dubia sanè res est, ac discriminis plena; nec tamen deest, qui nulla penitus cognitione, aut experientia instructus, liquoris huius essentiam, atque proprietates docere non modo ausus est, sed contrà expertissimorum Virorum attestationem suam etiam propugnare opinionem non dubitauit; putans scilicet hac in re solis rationibus esse agendum, ac nihil Scriptorum aliorumq; testimonio deferendum; certum tamen sit quæstionem hanc non esse Methaphysicam; sed de re nunc agi, quæ reuera extat, sensibusq; obnoxia est; proindeq; vnica eius inspectio innumeras illicò euertere rationes potest. Exemplo sint Antipodes, quorum assertores à grauissimis olim Autoribus ad sybilum vsque exagitati fuere, vt liquet apud Firmianum lib. 3. de fals. sapient. cap. 24. Exemplo pariter sint tum exustæ, tum algentes zonæ, quas pluribus validisq; rationibus inhabitabiles esse, præcipui Philoso-

phì

phi persuadere conati sunt; cum tamen & illos reperiri, & has commodè inhabitari ipsamet docuerit experientia, & rationes illas ridiculas penitùs esse, non parua Philosophorum illorum ignominia, ac decore demonstrauit.

Vt ergo, quæ sparsim à nobis dicta sunt, in vnum colligamus & aliquid tandẽ pro veritate concludamus, dicimus Opobalsamum, de quo hactenùs contenditur, Arabicum esse, non Syriacũ illud, de quo vno scripserunt Theophrastus, Dioscorides, Plinius, Galenus, alijque: & quamuis vtrumq; sub eadem specie comprehẽdi asseramus; ex soli tamen diuersitate aliquid discriminis in ijsdẽ suboriri posse, à ratione alienũ non est, alias augendo qualitates, alias imminuendo: Arabia siquidem calore feruentior atque exuccior, viscriditatẽ, indeq; adhæsionem augere apta est: quemadmodum ex vaporosę humiditatis defectu minùs etiam odoratum illud reddi, infrà probabilissimum esse demonstrabimus. In coagulatiua autem vi, vt quæ à substantiæ potius proprietate, quàm à primis qualitatibus pendeat, vt alibi quandoq; demõstrabitur Deo fauente; si quid Arabicum & Syriacum Opobalsamum inter se distant, non nisi experimento addisci poterit: quod tamen, si Hierecunthei frutices, ac Matheræenses penitus deleti sunt, vt aduersarij volũt, impossibile nunc existimandum

dum erit; Quapropter Arabicum hunc liquorem signis Syriaco attributis seuerè explorari, & periculosum, & inrationabile apparet: nam si Galeno Syriacum signis à Veteribus Syriaco adscriptis dijudicare animus non dedit; vnde comparatione semper vsus fuit; vt nam signis ijsdem Arabicum rectè nunc probari possit, non video: præterquam quòd supra allata Busbequij historia, cuius indubitatum illud Ægyptium Opobalsamum à Cæsareis Medicis reprobatum fuit, eò quòd Plinij signis non bene respondere visum sit; manifestum indicium fuit, nos in signis ijs percipiendis plurimùm hallucinari, ac proinde Alpino fidem omnino esse adhibendam.

At si hoc, de quo disceptatur, cum ijs omnibus cūctorum acclamatione insignibus, verisque Opobalsamis comparatum fuit, quæ apud Serenissimum M. Hetruriæ Ducem sub Nardij, viri clarissimi fide adseruantur; simileque prorsus deprehensum esse pereleganti epistola hactenus impressa idem Nardius testatus fuit; si id pariter Venetijs præstitit doctissimus Parisanus, cū ibi apud Nobiles non paucos, Cayri olim Consules, optima reperiantur Opobalsama; si eadem diligentia Panormi vsus est celeberrimus Vir Petrus Castellus, qui proinde absolutissima super hac re opuscula in lucem edidit; si alij hìc Romæ

idem

idem experti sunt; omnesque vnanimiter simillimum se reperisse fatentur. Si ab expertissimo Veslingio, Ioanne Molino hic Linguarum Interprete, Marco Auantio, Cosmo de Nigris, alijsq; ex ea notione, quam ex assidua per plures annos inspectione in Orientalibus regionibus sibi cõpararunt, vt verum, syncerumq; approbatum est: Si Neoterici omnes, qui de liquore illo oculata scientia scripsere, vt Bellonius, Alpinus, Villamontius, Breuius, alijque, controuerso huic vnanimi sententia fauent, vt nam signa accipienda sint, explicantes; neque aliquis est ex recentioribus, qui liquoris huius peritiam habere dicatur, siue iam vita superstes sit; siue literis suam mentem testatam reliquerit, qui contrarium afferat; quasi selectiores Medici vndique accurrant, vt socijs hac animi coecitare detentis medeantur; dummodò tamen tres illos Venetos Theriacopæos excipias, qui ob suam Theriacam hic haud valdè laudatã indignati; dum obesse conati sunt, maximam veritati lucem attulere, vt suprà vidimus; si controuersum Opobalsamum signis à Veteribus vero synceróq; attributis non infeliciter respondet, si, prout debet, exploretur; quæ nam inaudita pertinacia esset, nolle adhuc acquiescere; sed veritati quotidie obdurationiubs animis reluctari, & figmẽtis obniti? Notũ satis est ex Clemen.

Alex.

Alex. Strom. lib. 7. *maximum esse deponere opinionem*: Quamobrem monuit Hipp. lib. 4. de morb. oportere ad opiniones fortiter inhærentes multa argumenta adducêre, si quis velit Auditorem à priori sententia retrahere, & conuertere: teste tamen Macrobio in somn. Scip. cap. 10. indubitata prudentia est, quòd quis ea, quæ arbitratur, non pro compertis habeat; sed spreta opinione, quæ minùs cautis animis pro vero inolescit, quærat discere certiora; nam quemadmodum illud beatissimum in hominibus videtur, Mentem non posse cogi; sic miserrimum duci debet nullis rationibus suaderi.

Et planè quid peruicacius excogitari queat, quàm leuibus argumẽtis conceptã opinionem cõtra expertissimos eos Viros pugnaciter tueri, qui oculis ipsis viderunt, tetigeruntq;? Vix facere possum, quin hìc memorem, quod apud Ciceronem 2. de Oratore olim me legisse nunc subuenit: Cum namq; Annibal Carthagine expulsus, Ephesum exul ad Anthiochũ venisset; inuitatus à suis Hospitibus, vt si vellet Phormionem Peripateticum audiret; annuit; vnde Phormio, homo copiosus, aliquot horas de Imperatoris officio, omniq; re militari locutus dicitur; cumq; cæteri vehementer delectati essent; quærebant ab Annibale, quid nam de illo Philosopho iudicaret; Et liberè respondisse fertur mul-

tos

tos se deliros sæpè vidisse; sed qui magis, quàm Phormio deliraret, vidisse neminē: subditq; ipse eloquentiæ Pater, neque mehercule iniuria: quid enim aut arrogantius aut loquacius fieri potuit, quàm Annibali, qui tot annos de Imperio cum Populo Romano, omniū gētium victore, certasset, Græcum hominem, qui nunquam hostem, nunquā castra vidisset, præcepta de re militari dare? Id ipsum facere omnes ij videtur, qui quod ipsi experti nō sunt, id expertissimos docent. Vtque alios nunc prætercam, coràm Vislingio, rerum naturalium peritissimo, Orientalium regionum, Cayri præsertìm, per tot annos incola, nos, qui nunquàm indubitatè Opobalsamum vidimus, eius quidditatem, specificumq; odorem non modò docere profitebimur, sed contrà ipsius opinionem audacter altercabibur etiam? id planè plus quàm Phormionem agere esset.

Sed quoniam, vt aliàs diximus ex Arist. lib. 3. metaph., dubitationum solutio, veritatis inquisitio est; nihil prorsus actum nobis esset, nisi cætera aduersæ opinionis fundamenta, quæ in primo physicarum oppugnationum capite potissimùm registrata, reperiuntur, veritatis trutina nonnihil expenderemus; id proinde quàm primùm, expediendum est.

FRAN-

FRANCISCI PERLÆ CALVIENSIS MEDICI ROMANI.

Ἀνασκευή.

Qua

D. STEPHANI DE GASPARIS MEDICI ROMANI.

Oppugnationes propulſantur.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

NON niſi inuitus adduci potui (Lector beneuole) vt in phyſicas Stephani de Gaſparis Medici Romani, vetere mihi neceſſitudine coniunctiſſimi, oppugnationes, annotationes aliquas conſcriberem; verebar ſiquidem amicitiæ leges ſic me violaturum. At alia ex parte, nec mihi ex Socratico decre-

to

to fas esse arbitratus sum, vel occuluisse veritatem, vel concessisse contrarium. Quædam profectò in oppugnationibus ijs contineri obseruabam, quibus respondisse, permagni nostræ huius de Orientali Opobalsamo quæstionis interesse videbatur, vt scilicet liquidò appareret quo nam doctrinæ genere impugnaretur: præsertim, quòd ea veri prærogatiua est, vt illæsò quouis amicitiæ vinculo liberè defendi queat. Abstinui equidem religiosè à salibus, etsi non paulò insulsam sic reddi orationem cognoscerem. Apologeticum stylum ad lenitatem temperaui; nec semel à nimia Propugnatoris huius acerbitate in suscepta parte mordicùs defendenda irritatum, intrà humanitatis fines studiosè compressi, vt scilicet vnà simul & Amicitiæ, & Veritati sic litarem; non aliud curans, quàm verum caliginibus obrutum, in lucem quoad possem protrahere, ac pro virili illustrare: Vtinam collimauerim: quin eàdem

prorsus lenitate nonnulla in eiusdem prolegomenis consultò præterij; quæ tamen cautius omninò, maioriq; ab eo æquitate dicta voluissem, ne Philosophum Virum, plus susceptæ partis defendendæ studio, quàm ipsimet veritati detulisse appareret: Inscripsit siquidem librum suum Liquoris artificialis pro Orientali Opobalsamo in conficienda Theriaca Romæ adhibiti, &c. *Licet à nemine hucusque decisum fuerit, artificialis ne sit, an naturalis ille liquor; nec ea in re demonstrationem v llam habeat; quin summas potius pro aduersa parte probabilitates, ne dicam euidentias: nec sine magno aliorum existimationis detrimento sic gratis, ac citrà æquitatem illud asseri poterat: quod non aliud vtiq; fuit, quàm sibi de frustrà oppugnata veritate trophæum erigere. Sed quod magis adhuc dolendum est, velut quid indubitatum Romano id Senatui dedicatoria epistola sub Aromatariorum Collegij nomine denun-*

ciauit, quasi pietate ad hoc ducti ij fuerint, ne magnum aliquod detrimentum hominibus à Theriaca eo liquore confecta accideret; quod duplici etiam nomine non parum à charitate alienum videri posset; tum quòd propugnationes istas scripsit, vel saltem euulgauit postquàm Theriaca ab Antonio Manfredo, & Vincentio Panutio optimis in Vrbe Aromatarijs, cum Orientali hoc, probatoq; Opobalsamo, tanto doctissimorum Virorum applausu hactenùs confecta, non modò hic Romæ publicè magnaq; emptorum frequẽtia, & pretio non vulgari vendita est; quòd scilicèt ab innumeris vt cæterarum omnium saluberrima vsu reperta fuerit; sed à præcipuis etiam Italiæ Vrbibus, vt Mediolano, Neapoli, Bononia, Florentia, Messana alijsq; huius ordinis, & ab exteris non paucis Nationibus, ob eandem expertæ salubritatis famam summo studio perquisita fuit, eaq; quantitate coempta, vt vix eius aliquid

quid

quid nunc superſit; ita vt de antidoti huius efficacia adhuc dubitare, à quauis ratione alieniſſimũ ſit: Quapropter admonitio illa non amplius ad præcauendum, ſed ad detrahendum ſolummodo de fama illius pertinere iam poſſit. Tum etiam quòd Aromatariorum Collegio non contemnenda audaciæ nota inuſta fuit, dum in alienam irruere meſſem, aliorumq; iura turbare ſic induxit. Non ne omnibus notum eſt quibus finibus res medica; quibus pharmaceutica circumſcribatur? docuit id apertè Saladinus in compendio Aromatariorum, dum inquit. Officium Aromatarij eſt terere, infundere, abluere, coquere, deſtillare, benè conficere, & confecta benè conſeruare. *Quemadmodum è contra ad Medicos ſpectat, Archiatros præſertim, præcipere, probare ſubſtituere, legemq; in medicamentis omnibus cõficiẽdis præſcribere. Cur ergo iam ordo peruertatur; cur Mineruam in certamen prouocant?*

Non ne gloriosum Collegio illi duci debuit Collegas habere, qui summo studio peritiaq; suæ artis opera ad supremũ perfectionis fastigium euehere conati sint, ab alijs non vulgaris notæ Aromatarijs ad id excitati, qui id ipsum magna cum laude in clarissimis Vrbibus iam prius præstiterant; ac proinde peculiari eos beneuolentia complecti, non immaniter insectari multo æquius fuisset? Satius erat, *inquit Doring. l. de Bals.* neglectis succedaneis, sectari principalia: sic enim medicamentorum compositorum virtus, multò futura esset integrior, multaq: Veterum remedia elegantissima in vsum vtiliter reuocarentur, quæ propter illorum defectum, longo iam temporis spatio abiecta quasi iacuerũt, & vsurpari desierunt. Vtinam igitur Pharmacopolæ desidiam tandẽ excuterent, & in hæc inquirenda maiorem operam ponerent: fieret enim id non pauco mortalium bono. *Sed laudabilium factorum* per-

perpetua comes inuidia est; etsi imitatione digniora forent. Hæc Lector præterij, & complura adhuc mihi prætereunda duxi, tum quòd amicitiæ legibus obstringar; tum etiam quia ab impetu quodam animi, & perturbatione potius, quàm à consilio ea profecta existimem. Placuit paucula istech significare, ne fortè tibi admirationi esset, si quando amici dogmata paulò curiosius ab amico expendi obseruares. Vale, & Archiatro ignoscas.

FRANCISCI PERLÆ
CALVIENSIS
MEDICI ROMANI

Ἀνασκευή,

Qua

D. STEPHANI DE GASPARIS
MEDICI ROMANI

Physicæ oppugnationes propulsantur.

CAPITIS I.

Annotat. I.

Cum duo sint modi rectè dijudicandi Opobalsamum &c. *pag.* 1

HIC tertium, præcipuumque modum præteris, iudicium nempe atque attestationem eorum, qui in Balsamiferis regionibus aut enutriti, aut diù versati sunt: quem tanti fecit Galen. lib. 1. de antid. cap. 11., vt cæteris ferè omnibus prætulerit: Verùm haud improuide id factum fuit; quotquot enim oculati testes in hoc Orbis Theatro iã degunt, vnà omnes aduersùs tuam hãc opinionem attestãtur.

II.

II.

Prior est collatio facta inter portionem decidentis liquoris, &c. pag. 1

Sed, quod magis dolendum, ex duobus modis, quos proposuisti, collationem nimirum cum indubitato Opobalsamo, & explorationem attributorum, quæ liquori huic ab antiquis Autoribus adscribuntur; primum reijcis, velut nostro huic seculo impossibilem, saltem in Italia, & præsertim hic Romæ, vbi, vt putas, nihil penitùs Opobalsami reperitur; atque ità bis deliquisse videris, & quòd fidem Principibus, alijsq; Magnatibus abrogas, qui verissimum Opobalsamum ab indubitatæ fidei hominibus Principibusq; obtentum, hùc vsque se habere arbitrati sunt, prout de facto habent; & quòd optimum cognoscendi modum deferis, quo potissimum Galenus in ea lachryma exploranda vtebatur, vt constat ex lib. 1. de antidot. cap. 13. Ac demum infimo, eiq; incertissimo modo adhæres, signis nimirum ex Antiquorum opinione examinandis; cum tamen Prosper Alpinus, quem vnum ex Neotericis tibi sequendum pag. 3. proposuisti, sic in dial. de Balf. cap. 2. loquatur. *Balsami cognitio, præsertim Arabici, non à Dioscoride, Theophrasto, ac alijs antiquis Scriptoribus petenda est; sed ab Ægyptijs, &*

Arabibus, qui loca vbi Balsami planta omnium consensu olim vixere, habitarunt, & Busbequius, quem etiam plurimi à te fieri certò scio, legat. Turcicæ epist. 4. in fine, de Opobalsamo disserens, quod multis comitatum laudibus abHally Basa dono acceperat, Amicisque in reditu ad Patriam distribuerat, sic habet . *Sed reliqua benè locata arbitror; Vnum est, cuius me tam prodigum fuisse pœnitet, nimirùm Balsami, quòd eius veritatem in dubium vocarint Medici, quia non ex toto notis, quas requirit Plinius, respondere visum sit: an quòd vetustissimarum illarum plantarum, vnde promanat, vis aliquantum ætate diminuta sit; an qua alia de causa. Hoc quidem certo certius scio, è fruticibus illis, qui in Mathercensibus Cayro propinquis coluntur, profluxisse*. Vides ne, vt hæc attributorum iuxtà Antiquos exploratio alijs etiam imposuerit, prout tibi nunc imponit? Sed quid plura; Galenus ipsemet Theophrasti, atque Dioscoridis studiosissimus, Opobalsamum signis ijs dijudicare diffisus est; vnde ad comparationem, post peritorum attestationem, confugit. Hæc quidem nemo negauerit, qui veritati potius, quam affectui litare velit.

III.

III.

Erit operæpretium delineare veri Opobalſami qualitates & attributa, ratione primùm inuenta, mox Autoritate, &c. pag. 2. & 3.

Hæc profectò vera methodus eſt, vel potius amethodus, qua efficies, vt verum Opobalſamum nunquam cognoſcere valeamus; nam dum rationibus primò imaginarium tibi Opobalſamum cõcipis, & autoritatibus neſcio quàm benè intellectis opinionẽ deinde obfirmas; quicquid poſtmodum à parte rei oſtenditur, quod præconcepto Opobalſamo perſimile non ſit, vt adulterum ſtatim reijcis, licet ab ipſomet approbaretur Andromaco. Verùm haud ità philoſophandum exiſtimo in naturalibus rebus ex mente Ariſtotelis, qui 1. Phyſ. à notioribus nobis ad notiora naturæ vult eſſe procedendum, non è contra: nam cum intellectiua cognitio pendeat quodammodo à ſenſu; ſenſus pręcedet neceſſe eſt, oſtendatq; proprietates & attributa, ſuper quibus deinde ſpeculandum, phyſicisque agendum rationibus: At ſi perperàm agitur, quid mirum erit, ſi cognitio pariter perperàm contingat?

I. I I I.

***Quia verò non controuertitur, an viuat, & an in suo patrio solo nascatur, & conseruetur planta Balsami; quod inficias non imus.* p. 3.**

Spes affulgere iam incipit Opobalsami veritatem abundè latèq; aliquádo triumphaturam: Negebatis siquidem ab initio tu, sique in alij in aduersa cohorte erant, adeò egregiam plantam amplius in sublunari hoc orbe reperiri, eò scilicet, quòd Regij Iudææ, atque Matheræenses horti in Ægypto, vbi olim Balsami frutices adseruabantur, deleti omninò essent: at nūc Archiatrorum rationibus admoniti, ingenuè fatemini patrio in solo, hoc est, in Arabia iam modò vigere. Gratulor igitur quòd opera non prorsùs amissa sit. At ingenui pudoris erit liberè fateri, per quem proficere contigerit.

V.

***Succi illius præstantissimi à tot sæculis, in Italia præsertim, suspirati, non omnia attributa, sed ea tātum serio examinabimus.* pag. 4**

Quicunq; hactenùs liquorem illum seriò

riò ſuſpirarunt, breui à ſuſpirijs ſe ſe exi-
merunt: quæſiuerunt etenim diligenter,
inueneruntque: Vnde Ferrantes Impera-
tus Neapoli; Bernardinus Cicala Brixiæ;
Antonius Bertiolus Mantuæ; Ioannes Po-
na, & Franciſcus Calceolarius, tum Se-
nior, tum Iunior, Veronæ; Balthaſar &
Michael Campi Lucæ; alijque non pauci
Phamacopæi peritiſſimi, diligentiſſimiq;,
celebres Theriacas cum vero Orientali
Opobalſamo in hoc ſeculo compoſuere;
vt ex probatis Autoribus; illorumq; om-
nium monumentis teſtatiſſimum eſt. At
non credis? Quid aliud facere poſſim,
quàm te ſic renuentem relinquere?

Cæterùm, cum ex tribus medijs, qui-
bus Opobalſami veritatem probari dictũ
eſt, primo, ſecundoque, licet certiori-
bus, reiectis; totam rei ſummam in ter-
tium, infimumq; retuleris, attributorum,
nimirùm explorationem; cur ſaltem pro
rei tantæ molis, adeòq; controuerſæ ve-
ritate firmanda, non omnes liquoris hu-
ius proprietates ad amuſſim, ſed aliquas
tantummodo tibi conſiderandas adſumis?
Hercle non video quid certitudinis ex
adeò mutilata inueſtigatione vnquam ex-
pectare poterimus.

Sed ingrediamur iam, ſi libet, egregiam
odorum ſyluam, ex Ariſtotelis, Theophra-
ſti, & præſertim, ex Cæſalpini Floſculis
tanto ſtudio coagmentatam; quam tamẽ

F 6 adeò

adeò densam, implicatamque video, vt ignorem prorsùs quo vnquam filo ex labyrintheis hisce anfractibus euadere nobis possibile erit: nam modò odoribus formaliter & vt sic omnia tribuis; modò spirituosum eorum vehiculum vt præcipuè actuosum agnoscis; modò siccitati, nullo præscripto termino, totam suaueolentium naturam tribuis; modò id corrigis; adeòq; incertus diuagaris, vt nesciam quo vultum mutantem Protea nodo, teneam; Incertum tibi est vbi pedem firmes; incertum mihi pariter quò te expectem: tuis igitur insistens vestigijs, nunc te sequar.

V I.

Succus iste qua eodem odore innumeros ferè humani corporis morbos curat, medicamentis omnibus præfertur. *pag. 5. & 6.*

Fateor, id mihi nouissimum aduenit, quippè à rectè philosophantibus, Aristot. præsertim cap. 8. lib. de prædicam. didiceram, odorem formaliter atque vt sic, qualitatem esse tertij ordinis, neque aliud quid posse, quàm odoratus sensorium immutare: vnde idem Aristot. lib. 2. de an. t. 125. *Odor*, inquit, *Si quid facit, olfactum, in quantum odor est, facit*. Ac si quid

quid aliud operatur; id non vt odor agit, ſed quatenus in calidis, tenuibuſq; exalationibus odorata illa qualitas reſidet, vt latius infrà conſtabit, docuitque etiam Theoph. lib. 6. de cauſ. plant. cap. 24. *Odorum omnium poteſtas*, inquit, *pro ſubiecta natura ratione proculdubio eſt.* Ea propter Opobalſamum, vt odoratum eſt, cum cæteris odoratis, non cum ſalutiferis medicamentis vt ſic conferendum. Et quod ſummè ſalutare experimur, Balſamum vulgò dicitur eò quòd ſummè prodeſt; non autem quòd ſenſum odoratus ſummè delectet. Hoc ipſum annotauit Doring. lib. de Opobalſ. in prologuio: *Balſami ſuccus*, inquit, *& oleum Opobalſamum Græcis dictus, toto terrarum Orbe pro Diuino quodam auxilio habitus & celebratus eſt: hincq; res aliæ ad ſanitatem inſigniter accommodatæ, Balſama item appellatæ fuerũt.*

V I I.

Dioſcorides ex odore valido ad vſum medicum fore approbandum verum Opobalſamum ſcripſit, &c. pag. 6.

Optimum Opobalſamum, non autem verum Opobalſamum ex validitate odoris probandum eſſe docuit Dioſcorides: nam vetuſtiſſimum, quod nullo, vt dicis, odo-

odore præditum est, poterit quidem esse deterrimum; sed quòd verum nō sit, cum veritate id asseri nunquam poterit.

VIII.

Negari non potest, quin tota illius virtus, & virtutis effectus, ab unico eius odore, tanquam riui à fonte, suam trahant scaturiginem: quia omnis odor bonus, per hoc, quòd est bonus & odoriferus, confortat Cerebrum, & Cor, & spiritus, & naturalem calorem reuocat, vt aiebat Princeps, &c. pag. 6.

E' Pythagoreorum mysterijs videntur hæc delibuta: ij namq; odoribus quamplurimùm tribuebant; sed longe tamen pauciora, quàm philodmos hic noster: Aristarchi itaque virgula tantisper excutienda ea doctrina est, & ad Peripateticorum lucernam nonnihil examinanda. Iam diximus ex Aristot. lib. prædicamen. cap. 8., odorem qualitatem esse tertiæ speciei, quæ ex prædominio sapidæ siccitatis suprà humiditatem in mixto odorato prouenit, neq; aliam ex se vim habere, quàm odoratus sensiterium immutandi:

est namque sensibile proprium, non commune. Quòd si interdum quid aliud operari appareat; id ratione subiecti est, in quo residet, vt tu ipsemet veritate compulsus, fassus es pag. 8., fumida scilicet exalatio caloris vi ex odorato corpore eleuata; quę calida proinde, ac tenuis plerumq; est. Hinc idem Arist. probl. 11. sec. 12. *Cur*, inquit, *beneolentia promouētia sunt vrinã, vt semina, & plantæ? an quòd calida sunt, & subtilia?* Et lib. de sens. & sensil. cap. 5. Suaueolentia ad sanitatem conferre dixit, eò quòd Cerebri, sanguinisq; in eius venulis existentis, frigiditatem attemperent; quod profectò odori vt sic non potest cōpetere, sed odoris subiecto atque vehiculo: ea propter cum dixit Princeps, *Omnis odor bonus, per hoc, quòd est bonus, & odoriferus, confortat Cerebrum, & Cor; sed per hoc, quòd calefacit, & infrigidat; nocet in quibusdam dispositionibus*; est cum grano salis accipiendus; quatenus videlicèt odor suauis vt sic denotat sui subiecti substantiã optimè elaboratam, redactamq; ad eam æqualitatem, quæ humani corporis spiritibus maximè proportionata est, & connaturalis: adeò vt, non modò dum inspiratus ad Cerebrum, & ad Cor defertur, spiritibus tum animalibus, tum vitalibus immiscetur, obque analogiam facillimè in eosdē transmutatur; ex quo spirituosa illa substãtia plurimùm adaucta remanet, parte-

tesque illæ principes roboratæ: sed cuicunque corporis parti suaueolentia illa admoueantur, vbi præsertim arteriæ clarius micant; statim influentes spiritus vnà simul cum calore ob cognationem eò accurrunt, odoratoq; halitui immixti, augentur; indeq; partem illam dupliciter roborari necesse est, tum ob naturalem calorem eò aduocatum; tum ob adauctam spirituosam substantiam, quę operationum quarumcunq; præcipuum instrumentum est: odorem tamen, vt odor est, neutiquā illa sentit, cum id odoratui tantummodo in mammillaribus processibus permissum sit; quemadmodum color, & lumen vt sic non nisi ab Oculo, sonus ab Auditu, sapor à Gustu, tāgibiles qualitates à Tactu; neque alias particulas sub ea formalitate inmutare valent. Quin etiam odores non modo quicquid prosunt; sed si quid prætereà interdum obsunt, id ratione subiecti est, exhalationum nempe, quæ aut nimis copiosæ sunt, aut nimis calidæ & tenues; nam copia quidem caput implent, eiusque membranas distendunt; calore alterant, & accendunt, vehementiq; tenuium partium appulsu irritant; ex quo sternutamenta commouent, excitantq; dolores à distentione atque intemperie, & ad deliria vsquè interdum compellūt, vt docuit Gal. de instrum. odorat. cap.6. ijs verbis. *Quòd validi odores caput statim lædant, & impleāt,*

&

& aggrauent, & in delirium interdum prouocent, argumentum est nonnihil substantiæ eorum cerebrum tentare. Atq; hinc ex Hippocrate aph.28.sect.5. *Aromatum suffitus multis modis commodus esset, nisi capitis grauitatem induceret.* Ex his iam satis patet quàm absonum & incongruũ sit dicere ab odore vt suauis est balsamicas omnes virtutes, vt à fonte riuos deriuari: Preter quã quòd, præstantiores Opobalsami facultates, vtpotè Venenis, ac prauitatibus aduersari, neque ab odore, neque ab alia vlla manifesta qualitate profluere certo certius est: nam quemadmodum vera Venena, humorumque exitiales prauitates, vitali principio, hoc est, cordi adeò aduersantes, à forma proueniunt, vt indubitatum est; sic virtutes, quæ iisdem opponi debent, non nisi à forma, atque, vt dicitur, à tota substantia emanare par est: cum etenim contraria inter se sint (omnis siquidem actio fit inter contraria) sub eodem genere ex Philosophorum dogmatibus reponi debent: Ex quibus colligas velim, quòd sicut effectus, quos Opabalsamum manifestis qualitatibus, nimirum caliditate, siccitate, partiumq; tenuitate præstat, vti est morbos quoslibet, atque symptomata à frigida, humidaue intemperie, vel huius qualitatis humoribus pronenientes, curare, quemadmodum obstructiones omnes, putridas febres cronicas, & à crassis crudisq;

disq; humoribus accensas; Vrinarum suppressiones ab arenulis, calculis, aut viscidis glutinosisque materijs; Vulnera, vlcera, turpesque cicatrices, quas ad nihilum fermè extenuando deducit; cęteraq; huiuscemodi; quo recentius fuerit, dummodò à fœcibus coctione expurgatum, eò promptius atque validius efficit; sic illos, qui nobiliores procul dubio sũt, & ab eius forma profluunt, vt Venenis, alijsq; prauitatibus aduersari, ad quod potissimum in Theriaca expetitur; quousque eius forma permanet, producere apta est: non vtiq; quòd occultę hę proprietates ab alijs manifestis atq; elementaribus iuuari ad suos producendos effectus multis modis non possint; ætasq; vegeta ad quascunq; operationes non plurimùm cõducat; sed quòd illæ per has inquiri nullatenus debeât, neq; ex harum imminutione illas pariter omninò imminutas credas: Nam licet forma mixti seruetur per temperamentum, à quo manifestæ qualitates profluunt, ac proinde manifestis hisce imminutis, temperamẽtum etiam aliquo pacto labefactatum dici possit; non ideò tamen labefactata est forma; quæ cum sit essentialis substantia, non recipit magis, & minus, sicut numeri; sed, aut penitus deficit, corrupto mixto, dissolutoque temperamento; aut integra remanet, alterato tantummodo: Quamobrem in Opobalsamo imminuti

etiam

etiam odoris, dum tamen corruptum penitùs non sit, nobiles illas à forma promanantes virtutes, extinctas prorsùs haud rectè affirmabis: sicut nemo tam leuis est, vt Napellum, licet cariosum, (dummodò tamen humidum illud oleagineum, primigeniumq;, Chymicis naturale Balsamum dictum, cui essentialis forma præcipuè immediatèq; inhęret, dissipatum prorsus in eo non sit) assumere auderet: nam à forma, donec integra permanet, lethalia semper effluuia emanant, tametsi manifestis noxijsq: comitata qualitatibus obesse magis potuerit. Cauendum ergo tam multa odoribus formaliter tribuere, aut adeò propensum ad nobiliora proijcienda pharmaca se se exhibere.

I X.

Quare facilè est declarare, cur Opobalsamum tàm mirè potenterque suo eximio odore renales calculos comminuat; comminutos à renibus abstergat & expellat: cum enim odor generetur à sicco, & humido; odoriferum qua humidum, irrorat, irrigatq; in transitu, nedum viuentes partes, sed materiã ipsam lapideam obstruentem:

tem; qua ſicca, tenuitate ſua densas compacti lapidis partes penetrans, in partes comminuit. pag. 10.

Quàm perperàm hic omnia commiſta video! Opobalſamum eximio odore, atq; vt ſic, eximiè alterat odoratum: materialiter verò cætera agit; ſed non, vt dicis: Quid enim exigua illa irroratio in lapide frangendo conferat, cum ad renes vix per tenuiſſimos vapores, vt ità dicam, perueniat? Quid ſiccitas poteſt, niſi exſiccare, & indurare? Partium tenuitate, non ſiccitate, penetrat, & diuellit. Verùm leuia hęc ſunt, & impropria dumtaxat locutio. Sed quorsùm hic tam multa de intentionalibus odorum ſpeciebus exaggerantur?

X.

Cum felix Arabia ad exortum meridiemq; vergat, & ideò ab Oriẽte ſole vſque ad occaſum ſolis radios habeat præſentes, & priuetur ventis frigidis Septemtrionalibus; non poteſt niſi quàm maximè odorata progignere, dummodo

modo odor insit plantis à natura, &c. pag.17.

Vt Opobalsamo regale folium(sic enim dicis pag. 5.) inter cuncta suaueolentia erigas, à quadruplici capite argumentaris, à Natura videlicet, & à Patria ipsiusmet plantæ; à Tempore, sub quo producitur, & à Modo: quæ omnia in eoconueniunt, atque in id recidunt, vt ostendas ad succi huius productionem maximam concurrere siccitatem, cum in regione siccissima, è stirpe siccissima, tempore siccissimo resudet, atque exinde Canicularibus diebus longè magis resiccescat: Hinc enim te satìs probaturum credis, Opobalsamum inter omnia odorata odoratissimum esse: nam, cum natura odoris in siccitate potissimùm consistat; quo intensior siccitas erit, licet in summo, eò sublimior proueniet odor.

Verùm toto id cœlo errare est: quod vt clarius pateat, meminisse debemus, odorem in mixto à prædomino siccitatis suprà humiditatem procreari: ex quo sanè fit, vt exhalabilis humiditas necessariò in odoribus quibusuis requiratur, quæ nimirum neque ità excedat, quin à calore per siccitatē regi possit; neque deficiat; itaut vel nulla, vel exigua postmodum fiat exhalatio. Hæc doctrina est Aristotelis probl. 3. sec. 12., vbi odorem pro-

crea-

creatione verba faciens, *Oportet*, inquit, *neque multam inesse humiditatem, (concoqui enim multa non potest), neque sine humiditate; non enim fiet vapor*. est pariter Theophrast. lib.6. de caus. plant. cap. 26., vbi de conditionibus alimenti odoratorũ loquens, sic habet. *Nec excedere, nec deficere, nec auersum esse subiectis alimentum oportet; quippè quod excedit, coctioni impedimento est; quod deficit, velut materia caret: quod alienum est, fungi officio natura non potest*: Quin tù ipsemet hanc doctrinam amplexatus videris pag. 20. Hinc satis liquet, vt puto, præstantiam atque sublimitatem odoris, non ab intẽsiori simpliciter, aut minùs intenso siccitatis gradu; sed potius ab exacta huius proportione suprà humiditatem esse petendam, cum siccitas per se non minùs extinguere, quàm producere odores apta sit, nisi commensuratam cum humiditate proportionem seruet: vnde idem Theophr. loco iam citato cap. 23. *Adsunt*, inquit, *quæ inter odorata nimiùm exsiccata, deterius oleant*: Ex quo etiam fit, vt non omnes odores eodem vel calore, vel siccitate gaudeant; sed alij maiorem, alij minorem requirant; Nam cum odorum differentiæ desumantur primò quidem præcipuèq; à varia proportione siccitatis suprà humiditatem; mox ab humiditatis huius qualitate, quæ modo aërea est, modò aquea; ac demum
ab

ab eiusdem humiditatis quantitate, copiosa nimirùm, vel modica; atque ita, vbi siccitas exactè dominatur humido in mixto odorato, odor benè olens excitatur; vbi è contrà humiditas copiosior est, quàm vt à calore benè excoqui, & sub siccitatis dominium penitus redigi queat; praui odores, nobisque aduersi proueniũt. Si prætereà humiditas multa sit, & aërea, vt in oleagineis, pinguibusque; vberiori indiget calore, cùm magis ipsa resistat; à quo quatenus copiosa eleuatur exhalatio, bonus excitatur odor copiosè plenèque redolens; quatenus verò ab eodem validè agente plurimùm aërea illa humiditas attenuatur, odor acutus prouenit, qui partium tenuitate validè ferit, irritatque odoratum, à quo sternutamenta interdũ commouentur, sanguinisq; hemorrhagiæ. At si crassior sit copiosa ea exhalatio, grauantem quendam odorem producit: quòd si demum exacta sit siccitatis suprà humiditatem proportio, neque exhalatio adeò exsuperet; tunc non modò bene olentia fiunt, sed suauia, quæ videlicet blanda quadam voluptate odoratum citrà vllam prorsùs violentiam mouent; non enim implent, non irritant, non aggrauant, sed iucunditate & delectatione afficiunt. At si aquea fuerit humiditas, vt florum omnium plerumq; est; tum pro humiditatis huius quantitate intensior quidem, aut remissior

missior requiritur calor; perpetuò tamen minor, quàm vbi aerea est, cum non adeò calori resistere ea apta sit: aquea namq; facillimè resoluitur ac dissipatur: Ex quibus profectò satis etiam patet odoribus calorem & siccitatem non temerè atque incommensuratè, sed cuiq; pro suo modo esse assignandam, cum non minus obsit remissior, quàm intensior. Consideratâ proinde odoratarum stirpium natura, non omnes eodem solo, non eodem sy-derum aspectu gaudent: expetunt namq; in genere odorata omnia siccitatem; quamobrem in apricis regionibus perfe-ctiora ferè cuncta hæc proueniunt; alia tamen magis aprica, alia minùs exoptāt; vt si planta ex sui natura humidior sit, & aqueam, tenuem, dissolubilemq; habeat humiditatem, vt flores; siccius aliquanto solum aptius ei est, dum tamen à nimio calore eius humiditas non nimis dissipetur. Si autem sicca sit ex se, & pauci humoris, tenacis tamen & pinguis, qui à valido calore totus ferè in halitum attenuari, non autem dissipari aptus est; si in æstuosis regionibus pinguior aliqua ei gleba eligatur; felicior adolescit, atque odoratior; nam exhalabilem ibi humorem maiori copia obtinet: ac propterea Ægyptiaca Myrthus odoratissima est, vt docuit Theophr. lib. 6. de caus. plant. cap. 27.: cum etenim sicca ex se admodum

dum sit, à roscido Ægypti aëre non nihil humentior redditur; talis scilicet, qualis ad vberiorem emittendum humorem satis est; proindeque odoratior ibi prouenit, quàm in ipsamet Arabia, alijsque feruentioribus locis: Immò Aristoteles ipsemet problemate superius citato, odoratiora prouenire asseruit in locis, quæ ad Orientem vergunt, vt Syria, & Arabia, quàm in ijs, quæ ad Meridiem, vt est Aphrica, seu Lybia; eò quòd illa pleniora sint, atque terrenosiora; hæc verò arenosa, siticulosaque. Quarè vniuersaliter concludendum est, siccitatem in quibuscunq; odoribus necessariò requiri; at non quàm intensiorem, sed eam tantummodo, quæ apta sit humorem regere & continere, non autem dissipare atque extinguere; ita vt inter qualitates hasce, humiditatem nimirum, & siccitatem, iusta quædam & idonea sit proportio pro natura cuiusq; mixti odorati; Atque huiusmodi fundamento ab odorum natura desumpto, Aristotelis & Theophrasti autoritatibus firmato, experientiæ conformi, tibiq; non semel probato, facile erit redarguere quæcunque ad solium Opobalsamo inter odores erigendum tanto apparatu congesta fuere.

Reliquum iam est, vt rationes, quæ pro excessiuo Orientalium partium calore, Arabiæ præsertim, à te in medium allatæ

ſunt, expendamus; quas exigui eſſe momenti ad probandum quod expetitur, per quàm facile erit demonſtrare: nam dicis primò Arabiam ad Solis exortum atque Meridiem vergere; totaq; proinde die à ſolaribus radijs illuſtrari; exin montibus quibuſdam ad Aquilonem poſitis, à Septẽtrionalibus frigidiſque ventis obtegi, imperuiamq; reddi. Atqui complures ſunt in noſtris etiam regionibus conualles, quæ ijſdem aſpectibus gaudent, neq; ab Aquilonaribus ventis perflantur, nec tamen eiuſdem excellentiæ mixtorũ feraces ſunt; licet Italiam hanc noſtram in multis Arabiæ finitimam prodiderit Plinius; inquit enim lib. 6. hiſt. cap. 28. *Ipſa verò peninſula Arabia inter duo maria, Rubrum Perſicumq; procurrens, quodam naturæ artificio ad ſimilitudinem atque magnitudinẽ Italiæ mari circumfuſa; in eandm etiam cœli partem nulla differentia ſpectat. Hæc quoque in illo ſitu felix.* Verùm dices Arabiam non modò ad exortum atq; meridiem ſpectare, ſed prætereà in Orientalibus plagis, & vltra tropicum Cancri ſitam eſſe, quas quidem partes calidiores eſſe, & quælibet odoratiora producere, certum cuiq; eſt. Mendosè ergo ratio ille allata fuerat. Sed adhuc ex te non video cur Orientalis plaga debeat Occidentali eſſe calidior, & quonam modo Sol diutius in ea immoretur; nam vergere ad exorientem Solem atque Me-

Meridiem etiam cum aduersa Occidentali plaga commune habere potest; à qua tamen in odoratorum, aliarumque pretiosarum rerum excellentia minimè per te aequatur: neque esse Orientale, vt sic quid proprium dicit, & absolutè, sed respectiuè tale est; cum nullum in eclyptica pũctum, aut in subiectis Zodiaco regionibus habitatio assignari queat, quae & Orientalis, & Occidentalis dici non possit, prout cum subsequente, aut antecedente conferatur: vndè, vt diximus, nil simpliciter & absolutè tale est, sed respectiuè tantùm; ita, vt, quod nobis Oriens est; alijs compluribus ante ipsum existentibus in hac Mundi longitudine, sit Occidens; & quòd Occidens nobis dicitur, & est; alijs in eadem Mundi longitudine post habitantibus, sit Oriens; ac proindè, vt sic & formaliter nihil peculiare prae caeteris habet; vt fusius optimeq; explicauit Boetius de Boot lib. 1. de gemmar. histor. cap. 12.

Minùs valet, quod Aquilonares Venti eò non pertingant; nam etsi pertingerent: cum Arabia vltrà Cancrum non longe ab aequatore sita sit; Venti ab Vrsa flantes non possunt ad ipsam, nisi per aestuosos aeris tractus, peruenire; ac propterea, non nisi calidi, & aestuosi: Quin venti Meridionales sunt, qui frigidi ibi spirant, vt docuit Arist. probl. 50. sec. 26. & Macrob. lib. 2. in Somn. Scip. cap. 5.; ibi enim non longè à

suis principijs flant venti ij; proindeq; non dum dilatati sunt, sed torrentis instar vniti, eòq; validiores, frigidioresq; spirant: nam vbi generantur, frigidi magna ex parte existunt.

Magis ergo operæpretium fuisset, si seriò inuestigasses veram caloris causam in Orientalibus partibus suprà Occidétales; ex quo Aromatum, pretiosarumq; rerum adeò præ cæteris feraces sint, vt aliqui prædicant.

Innuit illam vtique Arist. lib. 2. meteor. dum inquit *Ea qua ad ortum, calidiora his sunt, qua ad occasum, quòd longiori tempore sub Sole illa sint: ea autem, qua ad occasum, citius deserit, ad eumque locum tardius accedit*. Sed arduum omninò est id rectè explicare, cum Sol circulari suo motu, eodem tenore ad quasuis partes accedat, recedatq;: Afferam nihilominus, quid ibi senserit Vico Mercatus lib. 2. Meteor. tex. 51. quem pariter secutus est Septalius lib. 1. in Hip. de Aq. Aer. & loc. tex. 2., quod tu etiam probare visus es pag. 136. Asserit hic ex Orientis speciali situ id prouenire; nam ita locatus is est, vt Oceanum ad sui exortum habeat, illoq; vndique alluatur: Sol itaque ab Oceano ad Orientales terras properans, illicò eas omnes illuminat, cum nullo montium obtentu impediatur: quin calidos secum Oceani vapores deferens, eas regiones non parùm calefacit.

Secùs

Secùs omninò accidit, dum ad Occidentem contendit: nam ibi Montium plurimorum obiectu impeditur, quominùs plagas illas illuſtrare atque fouere valeat, priuſquam earum zenit, ſeu verticale punctum attigerit; nec vapores adeò calidos à montuoſis terris defert, quemadmodum ab Oceano; à cuius calidis pinguibuſq; halitibus Orientalis tractus non parum incaleſcit, pingueſcitque.

Sed, ſi verum fateri debeo, neq; iſta ratio mihi vndequaque ſatisfacit: nam dato etiam quòd Montes inter Orientem noſtrum, atq; Occidentem interpoſiti exiſtant, ita vt duabus prius horis quàm Sol oriatur, Orientales foueat plagas, illuſtretq; quòd ſanè in Occidẽtalibus ob mõtium obiectum nequaquam euenit; idem omninò rurſus fiet in Occidente dum Sol occidit; duabus ſcilicet horis poſtquam infrà Orizontem ſe demerſerit, Occidentales regiones aſſiduè illuſtrabit, cum ibi etiam Oceanum appoſitum ſit: Neque ad aduerſas Orientis terras pertingere tunc poterit, ob eoſdem interiectos montes: atque ita quantum omninò lucis lucratur Orientalis regio in Solis exortu, tãtundem lucratur Occidentalis plaga dum Sol occidit; vnde quo ad hoc æqualis prorsùs erit vtriuſque ratio. Neq; vlla ex rationibus ab Auerroe lib. 2. meteor. allatis, ita Orienti aptari poterit, quin etiam Occi-

denti congruat, si attentè aduertas; siue solares radios perpendas nunc rectos nūc obtusos excitantes angulos; siue quiduis aliud: Hinc, aut dicemus cum eodem Boot loco superius adducto, vanam prorsus eam esse opinionem, qua vulgo hactenus persuasum est, Orientem perfectiora producere, quàm Occidentem; indeque originem eam habuisse, quòd Orientales regiones nobis Europæis magis cognitæ sint, illarumq; diuitiæ omnes optimè exploratæ; secùs quàm sit Affrica, Aliæque Occidentales partes parùm à naturalium rerum Indagatoribus peragratæ. Aut si vulgata opinio vera habenda sit; cum nihil peculiare ex Astris in Oriente inueniamus, quod Occidenti pariter non competat, vertendum ingenium erit ad terræ illius conditionem: nam cum Solem ab Oceano ad se accedentem habeat, hic motu raptus, dum aerem non nihil commouet, maris etiam vapores assiduè secum defert, à quorum pingui humiditate continuè solum illud pinguescit atque humectatur; vnde cuncta magis succosa, proindeque perfectiora ibi proueniunt. Ad Occidentem, viceuersa, Sol properans, à montibus aridos aduehit vapores; eos autem, qui ab Occidentali Oceano adueniunt, repellit potius suo motu, excluditque: vnde terra illa aridior cum sit, minus odorata producit ob pauciorem exhalabi-

halabilem humiditatem; gemmęque minùs lucidæ ibi proueniunt, quòd ex aduſtiori ſubſtantia ſint genitę. Quàm profectò rationem eouſque tibi probandam offero, quouſq; meliorem ipſe attuleris.

Verùm etiam hoc dato, quod Oriens calidior ſit Occidentalibus partibus; ſequitur ne proindè, quòd ſiccior etiam ſit? Cardanus certè lib. 6. de ſubtil., calidum atque humidum eum ſtatuit: nec præter rationem, cum Oceano adiaceat, vt diximus, à cuius vaporibus terra illa aſſiduè humectatur. Nec minus de tua Arabia dubitare contingit, non modò quòd à Rubro atque à Perſico Mari, vt peninſula, circumalluatur, eorumq; vaporibus perpetuò obnoxia ſit; ſed etiam quòd Strabo lib. 16. Geographiæ ſic de felici Arabia teſtatum reliquerit. *Vltima regio Auſtrum versùs contrà Æthiopiam aſſurgentia, æſtiuis imbribus tanguntur, & bis ſeruntur, quemadmodum India. Habent etiam flumina, quæ in campos & lacus abſumuntur, &c.* Cumque ſubiunxiſſet à quatuor maximis Nationibus eam regionem inhabitari; inter eas Sabæos enumerat, de quibus paulò infrà ſic loquitur. *His proxima eſt feliciſſima Sabæorum terra, quæ maxima natio eſt. Apud hos Thus & Myrrha & Cinnamomum naſcitur; in ora etiam Balſamum*. Vides ne Balſamum naſci in Sabæorum regione, quæ in Arabia felici, imbribus, lacubus,

fluminibusque irrigua, sita est? Vbi ergo illa adeò immensa siccitas, ex qua omnia ibi maximè odorata proueniant? vbi inexausta terræ illius sitis? non enim hæc Arabia eadem est cum illa, quam Scenitem vocant, arenosam atque desertam; vt quis fortassè suspicatus est. Vtinam apponere hìc licuisset, quæ in relationes digessit Vir quidam eximius, nouissime à felici Arabia redux, quas breui fortasse euulgabit: mira etenim de Terræ illius amænitate atque temperie protulissem.

Quin etiam supposito hoc, quòd Arabia videlicet percalida sit, & sicca, ijs non obstantibus, quæ in contrarium adduximus; & quòd Balsami planta naturaliter ibi prouenìens, in eodem pariter ex sui natura sit qualitatum excessu; & quòd demum æstuosis tẽporibus lachrymam illam refudet: poterit ne tunc tanquam ex necessarijs præmissis inferri, liquorem hunc cæterorum omniũ esse odoratissimum? Huiusmodi, vt puto, tu formas argumentum. Quæcunque oriuntur in regione calidissima & siccissima; ex stirpe calidissima & siccissima, tẽpore calidissimo & siccissimo, nõ possunt esse, nisi maximè odorata, dummodò illa ex sui natura odorata sint: sed Opobalsamum est huiusmodi; Ergo &c. Argumentũ vtique hoc est ad pauca respicientis: nam præter quam quòd maior propositio tot patitur exceptiones, quot

ſupra de exceſſiuo calore in odoribus producendis annotauimus ; tam latè etiam patet ſyllogiſmus , vt alijs compluribus aptari poſſit ; cæteris omnibus videlicet lachrymis , quæ odoratæ ſunt , calidæ & ſiccæ , & ex arboribus eiuſdem temperamenti in felici Arabia, æſtuoſis tẽporibus emanãt, velut Thus, Myrrha, Terebinthus, aliæq; huius generis , quas tamen in regali ſolio inter odorata minimè collocas .

Reſpicienda ergo primùm natura eſt cuiuſque rei odoratæ, eamque in Solo propitio , ſub amico ſidere , perfectiorem prouenire affirmabimus: intrà fines tamen propriæ eſſentiæ ; cum Summus Opifex omnia in pondere , numero , & menſura creauerit , quam pertranſire quauis ex re non licet : Si ergo expertiſſimi omnes Opobalſamum inter Thus & Terebinthum ſuauius quid redolere affirmãt : ſit quidem Terebintho ſuauius , & quid Thure ſublimius ſpiret; ſed quid regali ſolio inter cuncta odorata extollis ? nam , etſi validum , copioſum , & vehementem , dum recentiſſimum eſt, emittit odorem ; eaque in re à Veteribus Opobalſamum ſuprà cæteris laudatum fuerit , numquid proinde omnia omnium ætatum odoramenta confundenda erunt ? nimis longè diſtat Terebinthus & Thus à pretioſiſſimis poſterioris ſeculi odoratis, vt ſuprà vidimus , & infrà adhuc videbimus .

XI.

Quòd planta Balsami sit odoratissima, colligitur ex Alpino vbi habet. Si huius viridarij Balsami olim refertissimi, terram aliquãdo olfeceris, etiam nunc suauissimum odorem redolere senties. Bis vel ter tantùm Sol suum peragrauit orbem, post quàm hæ plantæ Custodum negligentia periere &c. pag. 18.

Diù odorem conseruari in ea terra, vbi Balsami plantæ priùs vixerant, non indicat magnitudinem, aut sublimitatem odoris; sed pinguem potius, glutinosamq; esse odoratæ illius rei substantiam, quæ proinde pertinaciter hæreat, ac difficillimè diluatur: sique terram Terebinthis, laricibus aut Abietibus cõsitam, post annos plures quis odoraretur, idem procul dubio experturus esset: quòd inde patet, quod res quælibet illarum odore quomodocunque imbuta, diutissime eum retineat, ob viscidam vehiculorum, vaporumue substantiam: Hinc miasmata, & seminaria morborum, quæ pinguibus plerumque sordibus inhęrent, viginti interdum annos non modò seruata, sed immaniter etiam recruduisse narrant historiæ, vt videre licet

apud

apud Trincauell.lib.3.conf.17. etsi minima illa sint, & insensibiles propemodum euaporationes.

XII.

Succus ille odoratissimus, nutriendæ plantæ destinatus &c. recipit à feruenti Solis ardore &c. perfectiorem coctionem, vt ex succi stillantis albo colore licet intelligere: sic etiam lac in mammis, semen in testibus, pus in abscessu, sedimentum in vrina, per vlteriorem coctionem in albedinem secundum naturam transierunt; & ossa alba sunt, quamuis sanguine melancolico nutriantur; & musculorum caro, post quam alimentum optimè concoxerit, ad albedinem tendit magis & minùs. Cutis etiam, seminale membrum, ex probe concocto semine prodiēs, exactè alba fit: quantum autem à perfecta coctione deficit, tantū ab albedinis integritate: Ergo ex perfecta huius succi coctione, de

eiusdem odoris valida suauitate ambigi non potest. *pag. 22.*

Quædam interdum tibi excidere pateris, quasi obliuiscaris te Philosophi nomē, & quidem non vulgaris, profiteri. Duo hìc præstas; primùm ex albedine perfectam coctionem cognoscere doces; Secundo ex perfecta coctione validā odoris suauitatē arguis; sed vereor ne in vtroq; haud leuiter hallucineris: nam quo ad primum, coctio ad vegetatiuā spectat facultatē, dum pars animata ope naturalis caloris passū sibi assimilare studet; vnde definitur à Galeno, haud in hoc ab Aristotele dissentiente, deductio eius, quod concoquitur, in substantiam concoquentis; Cum ergo partes concoquentes non omnes vnius generis sint; sed aliæ albæ, aliæ rubræ, aliæ alterius coloris & naturæ, vt est Hepar, Cor, Renes, Lien, &c. Satis liquet, neque omne, quod coctum est, esse album, neque omne, quod est album, esse coctum: nam pituita alba quidem est, nec tamen coctā eam dices; immò valdè crudam; sed debet passum assimilari illi rei, à qua coctio efficitur, siue alba illa fuerit, siue rubea, siue alterius coloris: Hinc chylus, qui per coctionem in Ventriculo, qui albus est, albuerat; vlteriori coctione in Hepate, qui rubeus est, rubescit, & in sanguinem transmutatur; ac si quid albidius ibi super-

sit,

sit, crudum illud esse arbitramur: Num cutis Æthiopis minùs cocto, vel genita est semine, vel nutritur alimento, quàm cutis Europæi, eò quòd nigra illa sit, & nigro nutriatur; hæc autem albo? Speciosa hæc magis sunt, quàm vera. Sanguis in leucophlegmatia albidior sine dubio cõspicitur; non tamen concoctior; immò secùs: Lac autem si album est, quemadmodum semen & pus; id fit, quòd albæ sint glandulæ in mammis, alba pariter testium, spermaticorumq; vasorum substantia, albæ etiam seminales partes, à quibus lac, semen, & pus conficitur; sed non omnes partes sunt eiusdem coloris: Quin nosti, vt puto, quàm dubia sit quæstio de origine colorum; cum potius sint passio perspicui, quàm elementati corporis: Vndè Gal. lib. 1. simpl. med. c. 2. & lib. 4. c. vlt. ex ijs omninò incertam esse statuit temperamenti significationem, cum color quiuis calido, frigido, humido, & sicco vniri possit, vt patet in niue, & calce. At si quid tandem de temperamento ex coloribus cognosci queat; quanto mixta fuerint albidiora, eo minus calida esse decreuit; quæ autem fulua, & flaua, aut rubra; omnia esse albis calidiora. Atqui, ipsamet Balsami lachryma, de qua controuertitur, lactea quidem est dum distillat, & ad paucos inde dies; mox in subuiridem, exinde in aureum, ac denique in melleum colo-

rem transmutatur: ac si in aquam aut in lac instilletur, iterum albescit; ergo per te ab initio optimè cocta fuit; mox recruduit, donec in aqua aut lacte, vnà cum candore coctionem pariter recuperauit: at id non philosophari, sed potius nugari esset. Dicamus potius excrementitiam aliquam humiditatem, tenuem, crudamq; initio admixtã habere, quæ vlteriori postmodum coctione resoluitur ac dissipatur; nec amplius apparet, nisi cum liquor ille in aquam aut lac iniectus, iterum humescit. Sic Vinum, dum recens est, ab aquea humiditate admixta albidius splendet: quo magis autem inueterascit; eò magis humiditate illa resoluta, flauum, aureumq; acquirit colorem. Sic Opium è Papauere distillans, lacteum est; quem posteà colorem, dum exsiccatur, amittit; iterumq; lactescit, si humore diluatur. Vt nam ergo ex candore aliquid coctum esse cognoscemus?

Sed quemadmodum ex albedine optimam coctionem haud satis bene intulisti; ita etiam ex eo, quod aliquid optimè concoctum sit, valde suauiter olere, non minùs infelici ausu contendis: nam optimè coctum dicitur, & est, quicquid concoquenti optimè assimilatum fuerit; quod sane in quauis suaueolentium specie contingere potest: quodq; tale erit, suauius olere, quàm cætera minus cocta eiusdem spe-

speciei vltrò fatebimur, modò intrà sui generis limites sistatur. Liiium lacteo Iunonis candore vtique nitescit, neque ei absimilis alba Rosa est,& quæ etiam Damascena nuncupatur; ergo ex te optime cocti sunt hi flores; valida ergo suauitate spirabunt; ergo ijs regale solium inter suaueolentia cuncta erit assignandum: At nimis laxandum erit hoc solium, si candidis quibuscunque suaueolentibus inseruire debeat. Sed quæ illationes sunt istæ? Quæ necessaria cum præmissis connexio? Inspicienda igitur primùm est odoratorum natura, vt aliàs diximus, cùm peculiaris vnicuique,propriusque odor, certis limitibus definitus, datus sit: & licet non parum in solo cœloq; propitio perfici queat; pro certo tamen habendum, nunquam eos suę essentiæ limites esse pertransituros. Verùm in quas angustias abripimur; quàm cogimur minima insectari, dum rationibus huiuscemodi tam arduum problema asserere non dubitasti!

XIII.

Cum odor Opobalsami perficiatur in regione & anni tempore calidissimis, statuere oportet maximum esse eius odorem, & omnibus odoribus cum Plinio esse preferendũ. pag. 26.

Iam

Iam satis suprà expensum hoc argumẽtum fuit, vidimusque, quàm sit incertum, à regionis, temporisq; excessiua qualitate odorum magnitudinem, sublimitatemq; inferre: nam magnus odor dicitur atque est, qui sensum odoratus copiosa odorataque afficit exhalatione: ex quo caput replet, calefacit, ac si tenuitatem cum aliqua acrimonia adiunctam habeat, sternutamenta etiam commouet. Huiusmodi sunt ea omnia odoramenta, quæ pingui constant substantia, vt Thus, Myrrha, Opobalsamum, Zibethum, Ambarum, Moschus, aliaque huius generis, quæ, cum multam habeant exhalabilem humiditatem, copioso etiam indigent calore, à quo humiditas illa actuetur, attenueturq; in halitum: neque nimia dissipatio timenda est, quemadmodum in floribus; cum pinguis halitus difficilè dissipetur: atque hinc in ijs verum erit dicere, magnum odorem non nisi à magno excitari calore: Non licet tamen sic è contra argumentari, vt nũc facis, hic odor factus est à magno calore: ergo non potest esse nisi maximus: nam cum in naturalibus ita statutum sit, vt non quodlibet fiat ex quolibet & à quolibet; sed determinatum ex & à determinato; calor magnus non absolutè, & quicunque, sed rei illius naturæ proportionatus requisitur: vnde potest esse productus odor à calore, non solum magno, sed à maiori, quàm

quàm hoc odoratum pateretur, proindeq; valde imminutus sit, ita vt à magno calore prouenerit exiguus odor, atq; deterior: nam vt docuit Theophrast. lib. 6. de caus. plant. cap. 13. suprà citato, *adsunt quæ inter odorata nimium exsiccata, deteriùs oleăt.* & inferius. *Vis caloris alteros coquit, alteros ex sua perfecta conditione dimouet: cum enim res finem suum attigerit, mutationem in deterius fieri necesse est.* Neq; semel docuit Aristot. in suis problematibus sect. 12. probl. 1. & deinceps, ex vi intenta caloris, exhalabilem odoratorũ substantiam, humidumq; illud tenue atque halituosum absumi, eòq; odores imminui, ac deteriores reddi: Atque hinc in Ægypto, æstuosisq; regionibus, vt apud Arabes atque Indos, flores, ac coronarias herbas, quàm minimum olere docuit Theophrastus loc. cit. cap. 27. Vltrò itaque fatemur Opobalsamum, dum recentissimum est, perualidi esse odoris, ita vt vix ferri possit; sic planè testantur, qui sensibus, plus quàm rationibus quibusdam hac in re deferendum esse crediderunt: at verò cum substantia constet pertenui; vehementia illa breui tempore remittitur, suauiusque efficitur, imminuto videlicet aliqua ex parte exhalabili humore; aut potius coctionis beneficio absumptis depositisq; compluribus excrementosis partibus, vt docuit etiam Alp. c. 3. dial. de Bals. Sed dato etiam hoc, quòd Theophrasti,
Dio-

Dioſcoridis, & Plinij ætate nullus alius repertus ſit liquor, qui Opobalſamo ſublimius ſpirauerit: non inde tamen ſit, vt nobiliſſimis quoque ſecuti temporis odoribus illud comparandum ſit,ne dum præferendum: cum longè odoratiſſima exinde innotuerint, vt ſupra probatum fuit,& latius infrà patebit.

X I V.

Sapor amarus principium eſt grati odoris, cum odoratum, quod amarum non ſit, reperire difficile ſit. pag. 26.

Ex Opobalſami amarore eiuſdem odoris præſtantiam ſuprà cæteris quibuſcunq;, leui admodum coniectura confirmare iam pergis: ſcilicet quòd amarus ſapor principium ſit grati odoris ex Theophraſto lib.6. de cauſ. plant. cap.13.: ſed præſtaſſet aut defendere, aut explicare Galenum, poſitioni huic liquidò aduerſantē lib. 4. de ſimpl. med. facult. cap. 22. Vbi amarum nunquam odoratum eſſe, apertis verbis affirmauit. At mendum illud ſit. Nos amara, vtpotè ab intenſo calore plurimùm attenuata, proindeq; ad euaporandum aptiſſima, odoribus maximè congrua eſſe non inficiamur,cum odorum natura in halitu, in quo ſiccitas dominetur, poſita ſit: Nimis tamen inter ſe diſtant,

ſtant, Opobalſamum leuiter amarum esse, & in ſummitate odorum omnium illud collocare.

XV.

Aſſero ſuccum illum è plãtis incultis, ſed patrio loco viuentibus, emanantem, odoratiorem, perfectioremque eſſe Vrbano. pag. 29.

Non ignobile problema hic tibi diſcutiendum proponis; num ſcilicet Opobalſamum ex incultis atque agreſtibus plantis odoratius perfectiusq; proueniat, quàm ex hortenſibus, cultiſque; & ſylueſtri ſuffragaris, ab Euonymo commilitone tuo in hoc manifeſtè diſcedens, qui negat ſuccum bonum ab agreſtibus plantis produci: ex quo illum vino lambruſcæ & Ciambroni reſpectu Moſcatelli, nimis animosè cõparauit. Licet Fallopius in Dioſc. lib. 1. c. 19. non nihil ei aſſentiri viſus ſit, dũ aſſeruit Balſami plantã Arabię indigenã nullius lachrymæ feracẽ eſſe; niſi in pinguius aliquod ſolum tranſponatur. Duplici autem ratione ad ita decernendum adductus videris; quarum primã ex multis hic illic diſiectis, ſic in vnum aptari poſſe exiſtimo: nempe quod ſylueſtria initium patriumq; ſolum habuerint à natura, quæ prior eſt, atque potior arte, meliuſq; nouit, quàm ars,

ars, quid Balsamo perficiendo conducat; semperque quod optimum est, quærit; quamobrem non elegisset locum illum, nisi alijs cunctis præferendum cognouisset, cum nihil frustrà ipsa moliatur: Ars autem eatenus boni aliquid facit, quatenus imitatur naturam: quapropter cùm agrestia ex naturæ velut electione ibi sint posita; non culturæ, non rei vllius indiga esse possunt, sed electissimum prorsùs Opobalsamum inde emanare, rationi maximè consentaneum est. His accedit secunda ratio, quòd nempè syluestria exiguum alimentum habeant; Vrbanis è contra copiosum à cultura suppeditatur; quod enim paucum est, melius coquitur, quàm quod est multum; & quod bene coctum est, maximè odoriferum sentitur; cum odor comparetur ex coctione. Agreste ergo Opobalsamum, cæterorum optimũ esse affirmandum concluditur.

Verùm maiori nos distinctione hac in re decernendum esse arbitramur: & quo ad primam rationem, sciendum syluestria Balsama, non omnia vnius esse rationis; nam alia quidem ex ingenita terræ seminali vi sponte prouenire concedimus; vbi videlicet pro sui principij naturæq; ratione solum, alimoniam, cœlumque aptissimũ nanciscuntur, quasi ibi cocuum semen ex sũmi Opificis præcepto latitauerit, quod extrinseca aliqua vel aëris, vel cœli virtu-

tè adueniente, in actum deinde erumpat. *Quantum in vniuersum exprimere liceat*, inquit Theoph. lib. 1. de caus. plant. cap. 5., *generationes spontaneas fieri necesse est terra subferuefacta, conctoque humore admixto, commutatoq; ex Solis ardore; quemadmodum & animalia progenerari videmus*. Atque ab his omnium præstantissimum resudare Opobalsamum non inficiabimur: quemadmodũ de spõtaneis huiuscemodi Theophrastum locutum arbitramur, dum cuncta ab agrestibus perfectiora gigni affirmauit: sunt etenim velut naturæ primogenita, quibus nihil, quod ad perfectionem necessarium sit, deesse potest. Alia tamen, & numerosiora quidem sunt syluestria Balsama, quæ nulla planè humana pullulant industria; at neque ex vi terræ ingenita proueniunt, sed ex seminibus potius, carpobalsamis dictis, ex varijs plantis vẽtorum impetu hàc illàc dispersis; vel ab imbribus, decurrentibusque pluuialibus aquis, cum supra terram semina illa deciderint, hùc illùc transuectis; vel ab auibus, quæ illamet depascuntur, aliò atque aliò, prout fors tulit, transpositis; quemadmodum in plantis cæteris, quæ à paucis plurimùm nulla humana industria propagantur, accidere cõpertissimum est, vt Theophrastus passim in libris de hist., & de caus. plantarum testatum reliquit; nam lib. 1. de caus. cap. 5. *Fluuij*, inquit, *& con-*

cursus præreptionesq; aquarum, multis de locis semina arborum, herbarumq; aduehunt; itaque amnium digressione loca permulta sylvarum impleta sunt. & lib.3. de hist. c. 5., *Cum flatibus delatum semen in loca proxima fuerit, nasci arborem aiunt, &c.* & inferius. *Imbres semina secum pleraque deferunt*. & lib. 2. de caus. plant. cap. 24. à pastu Auium exoriri velut accidens ad generationem plantarum animaduertit: Talia proinde Balsama in editissimis interdum montibus, in saxosis tractibus, in aresona prorsùs, ac puluerulenta terra vndequaque sterili, complura non rarò visuntur, vbi vix viuunt, nedum humorem effundere valeant; ac si quid interdum effundunt; perpaucum illud est, adeòque exustum atque exsiccatum, vt quàm minimùm euaporare queat; quamobrem paucissimi illud odoris esse necesse est. Atque hæ plantæ, si inde auellantur, transferanturque ad pabulum, non vtique copia aut qualitate contrarium; quemadmodum ad vliginosos terræ tractus, ad palustria, ad opaca, vbi copiosior subministretur alimonia, quàm vt ab illarum calore satis excoqui possit, aut aer haud propitius adspiret, à quibus illas non parùm immutari, suaq; è natura dimoueri certissimum est; quam profectò culturam, aut consimilem dumtaxat à Theophrasto improbatam credimus; sed vel intra felicis Arabiæ

biæ confinia ad conualles, aut campestria transferantur; ad pinguiorem videlicet glebam, quæ, quod satis est alimenti, pro naturali ipsiusmet plantę indigentia, commodè suppeditare apta est; vel extrà Arabiam, ad Iudææ colles, vallesque, quæ Orientalis pariter regio est, non longè à Cancri tropico dissita, solaribusq; radijs amplè illustrata; squallida vt plurimum, si cum Septētrionalibus aut Occidentalibus plagis compares; succosa tamen & pinguis, si cum montuosis Arabiæ locis, aut Lybia conferatur; optima omninò cultura dicenda hæc erit, & vndequaque commendanda: ars siquidem tunc naturæ ad optatum assequendum finem auxiliatur, percommodum alimenti genus, commensuratà copià, sub amico cœlo suppeditans; suppletque in ijs, quæ ad finem commodè assequendum naturæ deerant; qua in re optimam culturam versari docuit Theophr. lib. 6. de caus. plant. cap. 16. Neque ambigas electissimum ex ijs elici Opobalsamum, eàdem prorsùs ratione, qua suprà ex Aristotele diximus odoratiora prouenire in Syria & Arabia, quàm in Lybia; eò scilicet, quòd illa terrenosiora sint & pleniora; hæc verò arenosa siticulosaque. Sit ergo, quòd arida, aridisque in locis prouenientia, & quæ pauco alimento contenta degunt, quæque placidè adspirātur, odoratiora sint: sit ge-

nus agreste siccius, ieiunius, spiratius, feruentius, succoque tenuius, quàm vrbanũ; eaque omnia iuuent ad odorem; nam inde tamen non fiet, quin commensurata humiditas vt necessaria materia ad exhalandum in odorum ministerio non requiratur; quin ea, quæ aridiora ex sui natura sunt, in aridissimis tractibus, plus quàm par esset, exsiccentur, plenioriquc terra felicius maiorīq; odore virescant; cum, vt aliàs ex Theophrasto diximus, alimentum nec excedere, nec deficere debeat; quandò quod excedit, coctioni impedimento est: quod verò deficit, velut materiaca ret. Quaprõpter, etsi præcipua tui consilij ratio in præsenti textu fuerit demonstrare controuersum Opobalsamum nullo modo posse esse Arabicum, eò quòd summè fragrantissimum non sit, quale esse deberet, vtpotè in patrio solo, & regionibus æstuosissimis genitum: Immò quam longè Iudaicum superare oporteret, quod tamen ab antiquis Autoribus vt odoratissimum nobis descriptum fuit: Ex dictis nihilominus debuerat potius alterum ex his duobus inferri, scilicet, aut Iudaicum Opobalsamum ob copiosius, sed commodum atque commensuratum alimentum, ad copiosè exhalandum aptissimum, plenius ac copiosius, quàm cætera aliarum regionum Opobalsama oluisse; eo dumtaxat excepto, quod è

plan-

plantis ab ingenita terrę seminali virtute productis, collectum est: aut saltem, si Arabicum velut in patrio solo genitum, etiam è transpositis fruticibus præstantius esse volueris, quàm quod exoticum est; cum ex alia parte antiquæ ætatis Autores tantopere celebrauerint exoticum, Iudaicum scilicet, in excellentia odoris; quod tamē Arabico, nūc nobis adeò vulgariter olenti, inferius fuit, vt dicis; colligere, inquam, debebas Veteres pro eximijs celebrasse eos odores, qui nobis valde vulgares videntur, eò quòd prętantissimos, quales nunc nos, non habuerint: ac proinde posteriora tempora in odoribus quamplurimum antiquis esse præferenda.

Quo autem ad secundam rationem, non absolutè verum esse concedimus, quòd paucum melius concoquatur, quàm multum, etsi ea propositio Theophrasti esse videatur cap. 27. lib. 6. de caus. plant., cum moderatione namq; accipienda est, quandò deficientia æquè mala esse possit, atque excessus: nam, quod valde excedit, coctionem impedit; & quod paucum est, à nimio calore aduritur, non concoquitur. Campestria insuper loca, si vberius prębent alimentum, quàm loca editiora, quæ aridiora sunt ob humiditates, quæ ad ima perpetuò descendunt; maiore etiam, quo plerumque exæstuant calore, coctionem adiuuant: solares enim radij,

qui eàdem ferè linea, seu ad acutum angulum in planis reflectuntur, calorem ingeminant, magisque intendunt, quàm editis in locis, montibusque, in quibus ad latera, & ad obtusos angulos reflexio excitatur: vnde montes minus calidi plerumquè, quàm planities, percipiuntur: illorumq; tenuuior aër à terreis vaporibus vt plurimum expurgatus, caloris actionem minus adiuuat, quàm humilium locorum aër, qui crassior ac densior est ob eosdem vapores, quos assiduè recipit; neque adeò ventorum beneficio expiatur: Non enim te latet, quanti densitas subiecti valeat ad augendas primarum qualitatum actiones. Concludamus ergo cum Theophrasto lib. 6. de caus. plan. cap. vltimo, sic decernente. *Cum odoratorum alia syluestria, alia vrbana sint; præstantia odoris non alterius tantum generis est; nam & vrbanum præcellit, vt Rosa; & agreste, vt Viola nigra & Crocum. Serpillum tamen & Helenium acriora; sicut etiam in genere olerum Ruta. Causam, (vt in vniuersum exprimi potest) id habet, quod antè iam dictum est: vtraque enim vtroque illo, humiditate, siccitateque moderatur, ex quibus odores scilicet omnes oriuntur. At quod singulatim patescit, Viola nigra, & Crocum, neque multum alimenti desiderant, & satis ex se habent, sunt enim capitata: quamobrem genus sa-*

tiuum

tiuum suam alimoniæ copiam excoquere nequit: & hinc etiam fit, vt cinerem alijs congerant, alijs respergant. Rosa, serpillum, & similia generis agrestis sicca plusquam modicum est, efficiuntur; itaque Rosa exilis & nullo penè odore creatur, quia debito caret humore; neque enim Viola candida locis valdè sitientibus atque tenuibus odorata consistit; nec vbi Cœlum vehementer feruidum est, quia extrà modum siccatur, &c. moderationem autem causam tum odoris, tum coctionis existere, nullum dubium est. Ad hanc regiam atque vniuersalem normam autoritates omnes, quas sparsim ex Theophrasto collegisti, reuocare debemus, si veritatē à tenebris eruere, eique affusas caligines dissipare voluerimus.

X V I.

Verumenimuerò, cum quatuor sint odorum genera, acutus, lenis, grauis, & medicatus: Opobalsami Orientalis odor non est medicatus, cum non sit cum displicentia, vti sunt medicamenta purgantia, sed valdè delectat. pag. 38.

Orientalis Opobalsami odorem nequaquam medicatum esse dicis, eò quòd displicentiam adiunctam non habeat ve-

lut medicamenta purgantia; quasi medicati odores sint, qui solutiuorum displicentia imbuuntur: Et profectò patronũ hac in re habes haud contendendum, Cæsalpinum videlicet; cuius tamen te magis memorem exoptassem, (patere interdum maiorem me veritatis, quàm amicitiæ rationem habere) cum propriã odorum gazam tam luculenter ex huius de med. facul. lib. 1. cap. 14. & 15. ditaueris, nec saltem semel tanti Viri meminisse placuerit. Neque enim id memoror, quasi tibi non licuerit, quòd Scriptoribus cunctis omni æuo permissum est, quæcunque scilicet inter aliorum dicta, vt digniora miramur, velut gemmulas quasdam colligere, propriumque in vsum opportuna deriuatione conuertere, tum vt certiora, autoritateque firmata scribantur; tum vt gratius iucundiusque legantur ab alijs: vnde ex Lucret. lib. 3. natur.

Floriferis vt Apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem decerpimus aurea dicta.

Sed quod grati animi sit eorum nomina profiteri, quos imitamur, & à quibus accipimus, quasi merces hęc Autori optimo sit iure rependenda, ne fures videamur. At id obiter. Theophrastus porrò non parùm à te dissentit, qui libro de odoribus medicatos odores vocat, qui adiunctam habent aliquam haud obscuram medicamen,

mentosam facultatem, puta calefaciendi, penetrandi; adstringendi, aliorumque huius generis; sic etenim loquitur. *In summa Irinum & alia vnguenta medicata sunt, ac vt in vniuersum dicam, omnium causa in potestatibus, quas memoraui, sita est, adstringendi, & calefaciendi, quòd talia aromata medicamenta sint*. Num solutiuorum quorumcunque odor displicet? Vtique Viola & Rosa, præsertim Damascena, suauiter olent, & aluum satis commouent. At, inquies, de electiuè soluentibus intelligendum est. Sed Iris odoratissima sentitur, & aluum vehementer commouet, aquam à toto corpore electiuè, validèq; trahens. An Rhabarbarum Viri sanæ mentis iudicio inter malè olentia collocabimus? Haudquaquam. *Verùm quæ minùs benè sapida sunt*, inquit Theophrastus, *odoribus etiam suis grauitatem quandam præsentant*. adde, vel præsentare videntur: nam simul cum odore medicamenti alicuius proprio, obijcitur imaginatiuæ sapor ille, quem aliàs cum nausea degustauimus & nunc maximè abhorremus: quare displicet odor, non quòd prauus sit; sed quòd displicet sapor, cui odor ille adnexus est. Etsi nō inficiandū sit ingratum odorem purgantibus medicamentis esse maxime congruum; ne scilicet Natura vt alimentum illa amplectatur, & in vtilem succum excoquere satagat; sed

ars, quid Balsamo perficiendo conducat; semperque quod optimum est, quærit; quamobrem non elegisset locum illum, nisi alijs cunctis præferendum cognouisset, cum nihil frustra ipsa moliatur: Ars autem eatenus boni aliquid facit, quatenus imitatur naturam: quapropter cum agrestia ex naturæ velut electione ibi sint posita; non culturæ, non rei vllius indigæ esse possunt, sed electissimum prorsus Opobalsamum inde emanare, rationi maximè consentaneum est. His accedit secunda ratio, quòd nempè syluestria exiguum alimentum habeant; Vrbanis è contra copiosum à cultura suppeditatur; quod enim paucum est, melius coquitur, quàm quod est multum; & quod bene coctum est; maximè odoriferum sentitur; cum odor comparetur ex coctione. Agreste ergo Opobalsamum, cæterorum optimũ esse affirmandum concluditur.

Verùm maiori nos distinctione hac in re decernendum esse arbitramur: & quo ad primam rationem, sciendum syluestria Balsama non omnia vnius esse rationis; nam alia quidem ex ingenita terræ seminali vi sponte prouenire concedimus; vbi videlicet pro sui principij naturæq; ratione solum, alimoniam, cœlumque aptissimũ nanciscuntur, quasi ibi coœuum semen ex sũmi Opificis præcepto latitauerit, quod extrinseca aliqua vel aëris, vel cœli virtu-
te

te adueniente, in actum deinde erumpat. *Quantum in vniuersum exprimere liceat*, inquit Theoph. lib. 1. de caus. plant. cap. 5., *generationes spontaneas fieri necesse est terra subferuefacta, coactoque humore admixto, commutatoq; ex Solis ardore; quemadmodum & animalia progenerari videmus*. Atque ab his omnium præstantissimum resudare Opobalsamum non inficiabimur: quemadmodũ de spõtaneis huiuscemodi Theophrastum locutum arbitramur, dum cuncta ab agrestibus perfectiora gigni affirmauit: sunt etenim velut naturæ primogenita, quibus nihil, quod ad perfectionem necessarium sit, deesse potest. Alia tamen, & numerosiora quidem sunt syluestria Balsama, quæ nulla planè humana pullulant industria; at neque ex vi terræ ingenita prouenjunt, sed ex seminibus potius, carpobalsamis dictis, ex varijs plantis vẽtorum impetu hàc illàc dispersis; vel ab imbribus, decurrentibusque pluuialibus aquis, cum supra terram semina illa deciderint, hùc illùc transuectis; vel ab auibus, quæ illamet depascuntur, aliò atque aliò, prout fors tulit, transpositis; quemadmodum in plantis cæteris, quæ à paucis plurimùm nulla humana industria propagantur, accidere cõpertissimum est, vt Theophrastus passim in libris de hist., & de caus. plantarum testatum reliquit; nam lib. 1. de caus. cap. 5. *Fluuij*, inquit, *& concursus*

cursus praereptionesq; aquarum, multis de locis semina arborum, herbarumq; aduehunt; itaque amnium digressione loca permulta syluarum impleta sunt. & lib.3.de hist. c. 5., *Cum flatibus delatum semen in loca proxima fuerit, nasci arborem aiunt, &c.*& inferius. *Imbres semina secum pleraque deferunt*. & lib. 2. de caus. plant. cap. 24. à pastu Auium exoriri velut accidens ad generationem plantarum animaduertit: Talia proinde Balsama in editissimis interdum montibus, in saxosis tractibus, in aresona prorsùs, ac puluerulenta terra vndequaque sterili, complura non rarò visuntur, vbi vix viuunt, nedum humorem effundere valeant; ac si quid interdum effundunt; perpaucum illud est, adeòque exustum atque exsiccatum, vt quàm minimùm euaporare queat; quamobrem paucissimi illud odoris esse necesse est. Atque hæ plantæ, si inde auellantur, transferanturque ad pabulum, non vtique copia aut qualitate contrarium; quemadmodum ad vliginosos terræ tractus, ad palustria, ad opaca, vbi copiosior subministretur alimonia, quàm vt ab illarum calore satis excoqui possit, aut aer haud propitius adspiret, à quibus illas non parùm immutari, suaq; è natura dimoueri certissimum est; quam profectò culturam, aut consimilem dumtaxat à Theophrasto improbatam credimus; sed vel intra felicis Arabiæ

biæ confinia ad conualles, aut campestria transferantur; ad pinguiorem videlicet glebam, quæ, quod satis est alimenti, pro naturali ipsiusmet plantę indigentia, commodè suppeditare apta est; vel extrà Arabiam, ad Iudææ colles, vallesque, quæ Orientalis pariter regio est, non longè à Cancri tropico dissita, solaribusq; radijs amplè illustrata; squallida vt plurimum, si cum Septétrionalibus aut Occidentalibus plagis compares; succosa tamen & pinguis, si cum montuosis Arabiæ locis, aut Lybia conferatur; optima omninò cultura dicenda hæc erit, & vndequaque commendanda: ars siquidem tunc naturæ ad optatum assequendum finem auxiliatur, percommodum alimenti genus, commensuratà copià, sub amico cœlo suppeditans; suppletque in ijs, quæ ad finem commodè assequendum naturæ deerant; qua in re optimam culturam versari docuit Theophr. lib. 6. de caus. plant. cap. 16. Neque ambigas electissimum ex ijs elici Opobalsamum, eàdem prorsùs ratione, qua suprà ex Aristotele diximus odoratiora prouenire in Syria & Arabia, quàm in Lybia; eò scilicet, quòd illa terrenosiora sint & pleniora; hæc verò arenosa siticulosaque. Sit ergo, quòd arida, aridisque in locis prouenientia, & quæ pauco alimento contenta degunt, quæque placidè adspirâtur, odoratiora sint: sit genus

nus agreste siccius, ieiunius, spiratius, ferventius, succoque tenuius, quàm vrbanũ; eaque omnia iuuent ad odorem; nam inde tamen non fiet, quin commensurata humiditas vt necessaria materia ad exhalandum in odorum ministerio non requiratur; quin ea, quæ aridiora ex sui natura sunt, in aridissimis tractibus, plus quàm par esset, exsiccentur, plenioriquc terra felicius maioriq; odore virescant; cum, vt aliàs ex Theophrasto diximus, alimentum nec excedere, nec deficere debeat; quandò quod excedit, coctioni impedimento est: quod verò deficit, velut materia caret. Quaproptèr, etsi præcipua tui consilij ratio in præsenti textu fuerit demonstrare controuersum Opobalsamum nullo modo posse esse Arabicum, eò quòd summè fragrantissimum non sit, quale esse deberet, vtpotè in patrio solo, & regionibus æstuosissimis genitum: Iinmò quam longè Iudaicum superare oporteret, quod tamen ab antiquis Autoribus vt odoratissimum nobis descriptum fuit: Ex dictis nihilominus debuerat potius alterum ex his duobus inferri, scilicet, aut Iudaicum Opobalsamum ob copiosius, sed commodum atque commensuratum alimentum, ad copiosè exhalandum aptissimum, plenius ac copiosius, quàm cætera aliarum regionum Opobalsama olüisse; eo dumtaxat excepto, quod è

plan-

plantis ab ingenita terrę seminali virtute productis, collectum est: aut saltem, si Arabicum velut in patrio solo genitum, etiam è transpositis fruticibus præstantius esse volueris, quàm quod exoticum est; cum ex alia parte antiquæ ætatis Autores tantopere celebrauerint exoticum, Iudaicum scilicet, in excellentia odoris; quod tamē Arabico, nūc nobis adeò vulgariter olenti, inferius fuit, vt dicis; colligere, inquam, debebas Veteres pro eximijs celebrasse eos odores, qui nobis valde vulgares videntur, eò quòd prętantissimos, quales nunc nos, non habuerint: ac proinde posteriora tempora in odoribus quamplurimum antiquis esse præferenda.

Quo autem ad secundam rationem, non absolutè verum esse concedimus, quòd paucum melius concoquatur, quàm multum, etsi ea propositio Theophrasti esse videatur cap. 27. lib. 6. de caus. plant., cum moderatione namq; accipienda est, quandò deficientia æquè mala esse possit, atque excessus: nam, quod valde excedit, coctionem impedit; & quod paucum est, à nimio calore aduritur, non concoquitur. Campestria insuper loca, si vberius prębent alimentum, quàm loca editiora, quæ aridiora sunt ob humiditates, quæ ad ima perpetuò descendunt; maiore etiam, quo plerumque exæstuant calore, coctionem adiuuant: solares enim radij,

qui eàdem ferè linea, seu ad acutum angulum in planis reflectuntur, calorem ingeminant, magisque intendunt, quàm editis in locis, montibusque, in quibus ad latera, & ad obtusos angulos reflexio excitatur: vnde montes minus calidi plerumque, quàm planities, percipiuntur: illorumq; tenuuior aër à terreis vaporibus vt plurimum expurgatus, caloris actionem minus adiuuat, quàm humilium locorum aër, qui crassior ac densior est ob eosdem vapores, quos assiduè recipit; neque adeò ventorum beneficio expiatur: Non enim te latet, quanti densitas subiecti valeat ad augendas primarum qualitatum actiones. Concludamus ergo cum Theophrasto lib. 6. de caus. plan. cap. vltimo, sic decernente. *Cum odoratorum alia syluestria, alia vrbana sint; præstantia odoris non alterius tantum generis est; nam & vrbanum præcellit, vt Rosa; & agreste, vt Viola nigra & Crocum. Serpillum tamen & Helenium acriora; sicut etiam in genere olerum Ruta. Causam, (vt in vniuersum exprimi potest) id habet, quod antè iam dictum est; vtraque enim vtroque illo, humiditate, siccitateque moderatur, ex quibus odores scilicet omnes oriuntur. At quod singulatim patescit, Viola nigra, & Crocum, neque multum alimenti desiderant, & satis ex se habent, sunt enim capitata: quamobrem genus satiuum*

tiuum ſuam alimoniæ copiam excoquere nequit: & hinc etiam fit, vt cinerem alijs congerant, alijs reſpergant. Roſa, ſerpillum, & ſimilia generis agreſtis ſicca pluſquam modicum eſt, efficiuntur; itaque Roſa exilis & nullo penè odore creatur, quia debito caret humore; neque enim Viola candida locis valdè ſitientibus atque tenuibus odorata conſiſtit; nec vbi Cœlum vehementer feruidum eſt, quia extrà modum ſiccatur, &c. moderationem autem cauſam tum odoris, tum coctionis exiſtere, nullum dubium eſt. Ad hanc regiam atque vniuerſalem normam autoritates omnes, quas ſparſim ex Theophraſto collegiſti, reuocare debemus, ſi veritatē à tenebris eruere, eique affuſas caligines diſſipare voluerimus.

X V I.

Verumenimuerò, cum quatuor ſint odorum genera, acutus, lenis, grauis, & medicatus: Opobalſami Orientalis odor non eſt medicatus, cum non ſit cum diſplicentia, vti ſunt medicamenta purgantia, ſed valdè delectat. pag. 38.

Orientalis Opobalſami odorem nequaquam medicatum eſſe dicis, eò quòd diſplicentiam adiunctam non habeat ve-

lut medicamenta purgantia; quasi medicati odores sint, qui solutiuorum displicentia imbuuntur: Et profectò patronũ hac in re habes haud contendendum, Cæsalpinum videlicet; cuius tamen te magis memorem exoptassem, (patere interdum maiorem me veritatis, quàm amicitiæ rationem habere) cum propriã odorum gazam tam luculenter ex huius de med. facul. lib. 1. cap. 14. & 15. ditaueris, nec saltem semel tanti Viri meminisse placuerit. Neque enim id memoror, quasi tibi non licuerit, quòd Scriptoribus cunctis omni æuo permissum est, quæcunque scilicet inter aliorum dicta, vt digniora miramur, velut gemmulas quasdam colligere, propriumque in vsum opportuna deriuatione conuertere, tum vt certiora, autoritateque firmata scribantur; tum vt gratius iucundiusque legantur ab alijs: vnde ex Lucret. lib. 3. natur.

Floriferis vt Apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem decerpimus aurea dicta.

Sed quod grati animi sit eorum nomina profiteri, quos imitamur, & à quibus accipimus, quasi merces hęc Autori optimo sit iure rependenda, ne fures videamur. At id obiter. Theophrastus porrò non parùm à te dissentit, qui libro de odoribus medicatos odores vocat, qui adiunctam habent aliquam haud obscuram medicamen,

mentosam facultatem, puta calefaciendi, penetrandi; adstringendi, aliorumque huius generis; sic etenim loquitur. *In summa Irinum & alia vnguenta medicata sunt, ac vt in vniuersum dicam, omnium causa in potestatibus, quas memoraui, sita est, adstringendi, & calefaciendi, quòd talia aromata medicamenta sint.* Num solutiuorum quorumcunque odor displicet? Vtique Viola & Rosa, præsertim Damascena, suauiter olent, & aluum satis commouent. At, inquies, de electiuè soluentibus intelligendum est. Sed Iris odoratissima sentitur, & aluum vehementer commouet, aquam à toto corpore electiuè, validèq; trahens. An Rhabarbarum Viri sanæ mentis iudicio inter malè olentia collocabimus? Haudquaquam. *Verùm quæ minùs benè sapida sunt*, inquit Theophrastus, *odoribus etiam suis grauitatem quandam præsentant*. adde, vel præsentare videntur: nam simul cum odore medicamenti alicuius proprio, obijcitur imaginatiuæ sapor ille, quem aliàs cum nausea degustauimus & nunc maximè abhorremus: quare displicet odor, non quòd prauus sit; sed quòd displicet sapor, cui odor ille adnexus est. Etsi nō inficiandū sit ingratum odorem purgantibus medicamentis esse maxime congruum; ne scilicet Natura vt alimentum illa amplectatur, & in vtilem succum excoquere satagat; sed

potius ad expellẽdum irritetur. Hinc Arist. prob. 42. sec. 1. *Acerbitas, inquit, acor, malusq; odor medicamenta comitatur: eò quòd genus medicamentorũ cibo contrarium est.* Cũ ergo Opobalsamũ medicamentosis compluribus ditatum sit facultatibus, calefaciendi, exsiccandi, aperiendi, de obstruendique; quis nam ambiget ipsius odorem maximè medicamentum dici oportere? non ne Terebinthum odorato halitu æmulatur?

Sed cum Opobalsami odor, vt tu ipsemet narras pag. 55., ab antiquis Autoribus, Theophrasto, Dioscoride, Plinio, alijsque delineatus sit validitate, vehementia, copia, subtilitate, quæ omnia excessum ostendunt in qualitatibus, exhalationum copiam, motus velocitatem & vehementiam in feriendo penetrandoque sensorium odoratus, eòque sanguinem interdum elicit, excitatque capitis dolorem; vbi erit summa illa delectatio in liquoris huius odore? Non ne sensibilium exsuperãtiæ sensoria corrumpunt ex Arist. lib. 2. de An. t. 123., cum sensitiuæ potentiæ, quo ad subiectum, in quadam consistant dispositionum harmonia & temperie; qua turbata, dissolutaue, læditur destruiturque potentiæ ipsius organum: quemadmodum delectatio in summa proportione & conuenientia posita est sensibilis cum ipso sensu? Sic vehemens lumen,

vehe-

vehemens ſonus turbat diſſoluitque organa Viſus, Audituſque? Non ad cincinnatulos dumtaxat, atque calamiſtratos ſuffumigandos nobilis ea lachryma à Natura elaborata eſt.

X V I I.

Hunc copioſum odorem eximius iſte ſuccus odoratiſſimus expirat ſolum vſque ad ſenectutem, vti aſſerunt Dioſcorides & Alpinus, dicentes, ille citato loco, ſeneſcens craſſeſcit deteriorq; redditur. *iſte*. ſeneſcens craſſum inſtar Terebinthinæ euadit.

In quas anguitias ſuſceptæ partis defendendæ ſtudium te impellit! Dixiſti ex Theophraſto lib. 9. de hiſt. plant. cap. 6. Opobalſamum odorem inferre eximiū, copioſum adeò, vt ſubitò ſpatium per longum valeat ille permeare. Addis tù modò eam odoris vehementiam ad ſenium vſque in liquore illo perdurare: ſic enim te illaturum credis controuerſum Opobalſamum, in quo non ea odoris vehementia percipitur, aut verum non eſſe; aut exolutum omninò, nulliuſq; vigoris. Sed quis non videt ibi Theophraſtum ex aliorum relatu deſcribere

Opobalsami generationem, opificium, odoremque, quo tunc in primo illo exortu imbuitur? *Colligi lachrymam in caudice, inquit, ex parte superna tradunt, facta incisura vnguibus ferreis, sub sidere cum æstus maximè adigit; collectum verò æstate fieri tota, sed quod manat, multum non esse; vix enim in toto die concham posse impleri; odorem tum fieri eximium, & copiosum adeò, vt ex pauco spatium per longum odor valeat permeare.* Vides ne describi a Theophrasto odorati illius collectionem & qualitates, quibus tunc primò exornatur? cui assentitur etiã Alpinus, testis quo ad pleraq; oculatus, dialog. de Balſ. cap. 3., inquiens. *Ille succus ab arboris stipite continuò elicitus vsque ad quinctum annum, acutissimi, validissimiq; odoris percipitur.* Probandum itaque tibi superest eam odoris vehementiam, quæ ab initio, primoque quinquennio in illa lachryma sentitur, ad senectutem vsque perdurare: & probas quidem; sed quibus autoritatibus aut rationibus! Ex Dioscoride primùm, quòd dixerit succum illum senescentem crassescere, deterioremq; reddi; ex Alpino deinde, quòd illum pariter senescentem, crassum Terebinthinæ instar euadere affirmauerit: ergo, infers, ex horum sentẽtia toto antè senectutem tempore validissimum debet habere odorem. Atqui illatio ista non benè educitur; potuit siquidem

dem post initium moderari odor ille, & quid de eius vehementia remitti, absq; eo, quòd deterior redditus sit ille liquor, aut veterascat: immò cum perfectior redditur, à pluribus nimirùm crudioribus, atque excrementitijs partibus, quibus ab initio scatebat, coctionis beneficio repurgatus, ac proinde ad præcipuam suæ naturæ excellentiam redactus; sic multa ex longinquo suauius olere docuit Aristoteles sec. 12. probl. 4., & Theophrast. lib. 6. de caus. plant. cap. 27., quàm dum proximiora sunt, eò scilicet, vt aliàs diximus, quòd odorati halitus ad longinqua perueniunt synceri; & ab alijs terreis, crassioribusq; exhalationibus, quæ ad longius spatium ob grauitatem peruenire nequeunt, separati: At, subdis, Dioscorides non recenset in Opobalsamo nisi duo tempora, dum videlicet recens est, & dum consenuit; ergo sub recenti comprehendit pueritiam, adolescentiam, & consistentiam illius lachrymæ: sed quod recens est dixit esse validi odoris; ergo ex huius sententia antè senectutem semper erit validi odoris: cognouit siquidem quatuor illas ætates in eo succo, tametsi non explicitè recensuerit vt Alpinus.

At equidem facile persuaderi patiar Dioscoridem in hoc liquore omnes illas quatuor ætates agnouisse; neque est cur

per grammaticales subtilitates tantopere in hoc probando excruciemur, cum notum cuique sit, quæcunque tempori subiecta exoriuntur, per illas propriæ essentiæ mutationes atque periodos ad interitum tandem deduci. Vltrò etiam concederem Opobalsamum, quousque viget, semper in odore validitatem quandam atque acutiem præseferre: talis etenim ex sui natura est; sique tibi hoc satis esset, nil vtique vlterius in controuerso hoc desiderandum videretur; valide enim acuteq; mouet odoratum; Verùm summa illa suauitas ac delectatio, quam nescio quo pacto in hoc liquore imaginatus sis, bellum plane dissentionibus nostris ferè inreconciliabile indixit: Assero nihilominus, (neque in hoc à te dissentio, vt videre est pag. 44.) Dioscoridem ibi, vt ijs omnibus in more est, qui de stirpibus medicè scribunt, docere nos optimi Balsami electionem ad medicos vsus; dixitq; eligendum esse recens, seu in vigore constitutum; neque scilicet vetus exoletumq;, neque recentissimum, quod scilicet haud multò ante è caudice emanauerit; hoc siquidem, vt refert Abdela apud Alpinum cap. 3. dial. de Balf., vsque ad quinquennium circiter crassiori substantia cernitur, turbidaque, eò quòd multus in ipso exuberet crudus atque excrementitius humor, quo à valido eiusdem calore in

ipsum

ipsum agente agitato, turbidus apparet; atque inde adeò copiosa eleuatur exhalatio percalida, proindeq; acuta & vehemens, crassis vaporibus à crudiori atque excrementia humiditate eleuatis, admixta, vt narium expulsiuam ad sanguinem effundendum irritet, copia repleat, & mẽbranas tendendo, pungendo, alterandoq; capitis dolorem pariter excitet; omnesq; inuehat noxas, quas aromatibus adscripsit Hippocrates in aphorismis: quamobrem, quod recentissimum est, non modò minùs idoneum ad medẽdum; sed noxium etiam ob enarratas causas fortasse censeri par esset; cum interim à quinquennio clarescere incipiat hic liquor atque attenuari, ita vt ad decimumquintum vsque annum tenuissimus deinde sit, colore aureus, vtpotè ab omni immunditia caloris beneficio expurgatus; vnde odor magis moderatus est; atque hic dicitur recens, hoc est, vegetus validusq; ad naturales omnes actiones obeundas; quem profectò liquorem non immeritò eligendum propoſuit Dioscor. Neq; hoc mirum esse debet, cum idem prorsus vsuueniat in Theriaca, in Zibetho, Vinoq; ipsomet, cæterisq; huius generis succis, quæ omnia recentia dicuntur post exactam fermentationem, coctionemque absolutam; cuius ope ab ethorogeneis & excremẽtosis partibus expurgãtur, miscibiliumq; optima facta fuit mixtio:

tio: & quousq; in eo vigoris statu permanet, recentia vegetaue perpetuò dicuntur: calore autem iam imminui incipiente, tūc pariter incipit senectus: Alpinus tamen, vt de balsamica re longè magis edoctus, historiam clariùs cap. 4. sui dial. aperuit, asseuerans odorem vnà & saporem in recentissimo validissimum esse; in medio autem tempore illum fieri suauiorē, Thus, & Terebinthum redolentem, cum suauiori tamen odoris fragrantia; eaque omnia in senio demum maximè remissa percipi. Sed audio te exclamantem, odor in media ætate fit suauior, ergo augetur, ergo maior debet sentiri in iuuentute, quàm in eius pueritia. Sic vtique pag. 45. Positionem ergo istam iam peculiariter expendamus.

XVIII.

Quòd odor Opobalsami ab ortu vsq; ad senectutem cōtinuò augeatur, suauiorq; fiat, habetur ex Alpino in proximè relata periodo, ita scribente odorem in medio tempore fieri suauiorem. pag.45.

Iudices hac in re libētissimè adhiberem quotquot de sensuum obiectis ex proprio munere dijudicare norunt, vt Pictores, Musicos, Myropolas, Coquos, aliosque huius generis, qui de Coloribus, Vocibus,

Odo-

Odoribus, Saporibusque assiduè agunt. Hos consule si libet & percõtare obsecro, vt nam, cum sensibilia ista vehementiora sunt, suauiora reddere cõsueuerint, augendo ne, intendendoq; an potius imminuendo, ac moderando. Verùm iam te commotum video, & reclamantem nullam tibi rem esse, nisi cum Philosophis; iisque tantummodo te credere teneri: Adeamus itaque Philosophos. Theophrastus, quem nemini in hoc argumento postponendum dices, lib. 6. de caus. plant. cap. 25. *Quæ odoratissima sunt*, inquit, *suauiora fiunt vbi paululum à suo vigore declinauerunt*. Et libello de Odoribus. *Aromatum recentia nonnulla, virium grauitate & acrimonia pollent; inueterata ad vigorem, mitescunt*. Sed quid huius loca recenseo, quę complura absque dubio sunt. Si Alpini sententiam interpretari iam quærimus; quemnam aptiorem reperiemus interpretem, quàm Alpinum ipsum, dilucidè se se explicantem? Vtiq; hic lib. de plant. Ægypti cap. 14. de Balsamo eadem summatim colligens, quæ de eodẽ in dialogo multis antè annis, Cayri degens, scripserat, hæc habet. *Olet in principio Opobalsamum recentissime distillatum acutissimo, atque eximio odore, quod multis capitis dolorem concitare solet, & aliquibus etiam sanguinem ex naribus promouere: odoris verò illa acuties ac vehementia, ac in zibet fit, tempore obtunditur,*

&

& gratior euadit. Senio verò confectum, vix sentitur in eo aliquis odor. Obtunditur dixit, dum gratior euadit; quæ dictio, vt puto, non disputabis num augmentum, vel potius imminutionem importet, cum clarum cuiq; sit, obtundere esse aciem illam, acutiem, ac vehementiam frangere; non autem intenditur, vt tu volebas.

Neque rationes, quas autoritatibus succenturiatas adduxisti, vllius roboris esse possunt; vt suauitatem esse de essentia & quidditate odoris ex vigenti Opobalsamo spirantis; suauitatem & odorem simul augeri, neque generari odorem sine suauitate, sed simul ab eodem agente cōproduci & pullulare; suauitatem odoris finem & terminum esse; quasi naturalis calor, qui coctionis præcipuus autor est, eodem modo, eademq; actione, velut per gradus ascendendo intendendoq; rem deducat ab esse odorato ad esse suaue, vt ad beneolétium omnium finem: & sicuti finis melior est ijs, quæ sunt ad finem; sic medium & principiatum melius est, & perfectius suo principio; aliaque huiuscemodi, quæ nescio quanti ad rem nostram faciant: vt ijs tamen omnibus vnà simul respondeatur.

Supponendum est vt quid certissimum tam odorem, quàm suauitatem dupliciter sumi posse, vniuersaliter scilicet, & particulariter. Odor vniuersaliter accipitur prout est obiectum sensus odoratus; atque ita

ita tam beneolentiæ, quàm male olentia comprehendit, in quæ membra primùm diuidi solet, prout diuisit Aristot. probl. sect. 12. & 13: & in hoc sensu non rectè cõfunditur odor cũ suauitate. Accipitur particulariter odor prout distinguitur à fœtore, vt vulgò fieri solet: & tunc quidẽ cum suauitate confundi poterit, modò suauitate etiam distinctè vtamur: nam hęc etiam, aut accipitur vniuersaliter, quatenus significat beneolentiam, ita vt bene olere, & suauiter olere, & gratè afficere odoratum, idem omninò sint; quo pacto accepit similiter Aristoteles loco superius citato; & odor sic peculiariter acceptus, & suauitas vniuersaliter, semper vnita erunt. Vel accipitur suauitas particulariter, prout significat odorem in summa moderatione existentem, absque vllo excessu; ita vt neq; nimis acutus sit, neque grauis, neq; replens, neq; vllo modo molestus; sed blanda quadam voluptate odorandi sensum afficiat, sicut dulcedo inter sapores: atque in hoc sensu quandam velut speciem beneolentis constituit, nec semper vnitur cum odore peculiariter accepto, cum beneolentia plurium specierum sint, acuta', grauia, plena, exilia, suauia, quæ tamen plurifariam & inuicem commisceri, vniriq; & seiungi possunt, ita vt vnaquæq; ab alia odoris specie in odoratis rebus reperiatur: ex qua distinctione quid veri, quidue

quidue falsi rationes illę contineant, facile quisque per se iudicare poterit: aliud enim est esse odoratum, aliud esse suaue, vt pręclare videtur docuisse Galen. lib.4. de simpl. med. facult. cap. 22. à te citatq, vbi habet. *Non protinus quic quid odoratum est, esse suaue colligitur*; ex eo scilicet, quòd aliquid odoratum est, non potest etiam dici quod sit suaue: nam esse odoratum, beneque olere, dicit causaliter dominium siccitat s suprà humiditatem in mixto odorato; & sub hoc, velut sub genere subalterno continetur suauitas, vt bene olentiũ species, non aliter atque odor acutus, vehemens, replens, aggrauans, alijq; huiuscemodi, qui omnes, beneolentes quidem sunt; at non suaues, si suauitas peculiariter accipiatur, vt dictum est: sic enim, vt diximus, peculiarem beneolentis speciẽ constituit, sensui olfactus maximè proportionatam, sine vllo excessu, vel quantitatis, vel qualitatis; vnde Cæsalpin. lib.1. de medic. facultat. cap. 13. *Iucundus odor*, inquit, *exhalationem à calore optimè elaboratam ostendit, neque citrà neque vltrà mediocritatis latitudinem*. Indeque maximam cum humani corporis spiritibus analogiã, conuenientiam, atque familiaritatem obtinet, cum nullam inferat vim, sed sua mediocritate attemperat, & odoratum placidè absque vlla penitus turbatione afficit: & Opobalsamum quidem, etsi cum ali-

aliquid à prima sua illa odoris vehementia dimotum est, blandius efficiatur, & non nihil suauius appareat; nunquam tamen verè propriè q; suauis eius odor dici poterit, cum ex sui natura acutus sit ob partium magnam tenuitatem, qua odoratum vi quadam semper ferit.

Et quamuis odor generetur per coctionem; neque tamen quæcunque coctio est causa odoris; & cum est causa, neque est causa principalis, neque cõuertibilis: cum etenim coctio, vt alias diximus ex Galen. in 1. epid. com.2. t.44., sit quædam deductio eius, quod coquitur, in substantiam concoquentis; neque omnia concoquentia sint odorata; necessariò sequitur eam multò latius patere, quàm esse odoratum: plura siquidè optimè cocta sunt, quæ non sunt odorata. Quin Piper magis cõcoctum sine dubio est, magisque à calore alteratũ, quàm sit Rosa; intensiore viget calore & siccitate, in calidissimo gignitur loco, & à planta pariter calidissima; & nihilominus quàm minimè odoratũ est, Rosisque suauitate odoris quàm longe cedit.

Ex quo etiam patet primã pręcipuamq; odoris causam non esse coctionem, sed ipsammet rei odoratæ naturam. Vnde Theophrast. lib. 6. de caus. plant. cap. 26. *Confert*, inquit, *aliquid ad odorem conficiendum, naturam qualitate antecessisse idonea; principium enim, & res prima, natura est*.

Quam-

Quamobrem non in quolibet, quantũuis illud cõcoquatur, odor fieri poteſt, ſed vbi res ex ſui natura odorata, innato calore, extrinſeco pariter adiuuãte, cõcoquat paſſum, ſibique aſſimilet: quapropter odor ex coctione proueniens nõ mẽſurandus omninò eſt à gradu coctionis, ſed præcipuè à rei concoquentis, aſſimilantiſq; natura; quando coctio per ſe abſtrahit à producẽdo odorato, vel non odorato; & calor concoquens inſtrumentum ſit directum ab ipſius concoquentis forma: nec minus concoctum eſt lignum Guaiacum, aut aliud huiuſcemodi, quàm Xiloaloes ſit; cum tamen hoc odoratiſſimum ſentiamus, illud valde parùm. *Suauius olent*, inquit Ariſt. probl. 8. ſect. 12. *quæ modum aſſecuta ſunt ſua natura*. ac ſi tunc calor adhuc agat, non perficit vlterius, ſed in deterius immutat; vt innuit Thephr. loco toties citato de cauſ. plant. lib. 6. cap. 23. *vis caloris alteros coquit, alteros ex ſua perfecta conditione dimouet: cum enim res finem ſuum attigerit, mutationem in deterius fieri neceſſe eſt.*

Ex dictis minùs etiam verum apparet, ſuauitatem eſſe finem ſecundum naturam cuiuſcunq; odoris benè olentis; nam bene olentium variæ ſpecies ſunt, vt diximus; ac vnaquęque ſpecies habet pro fine ſuam naturam; cumq; paſſum alterat, ad propriam naturam, quæcunque illa ſit, non ad ſuauitatem primariò deducere

geſtit

gestit. Cum autem dicitur, finis est melior ijs, quæ sunt ad finem, intelligendum est de instrumentis, quibus forma, quæ finis nouæ productionis est, producitur; non autem de priori ætate respectu posterioris; nam sic Opobalsamum melius esset in sua senectute, cum ad hanc velut ad terminum & finem durationis per medias alias ætates perueniatur; cum tamen in senectute omnia deteriora euadant.

Nec quisquam, cui sana mens sit, responsurus vnquam tibi est, Opobalsamum in media ætate suauius fieri, non coctione, sed fœcũ expurgatione; inepta namq; nimis esset huiusmodi responsio: coctio siquidem, & fœcum expurgatio idem prorsùs sunt, saltem consecutiuè, cum vna necessariò sequatur alteram: coctione namq; separantur homogenea ab etherogeneis; aqueæ & excremētosæ dissipantur humiditates, atque ita substantia illa pura, syncera, æqualis, atque omninò assimilata remanet; odoremque proinde emittit, non impuris commixtum exhalationibus, sed syncerum; qualis nimirum syncero Opobalsamo naturaliter debetur; eo plane modo, quo suaueolentiam in Vino oriri docuit Theophrastus lib. 6. de caus. plant. cap. 24., attenuatione, nimirum, segregatione, & exhalatione, quæ ad vnũ omnia ipsammet coctionem consequuntur.

X I X.

Satis hactenùs de odoris copia & suauitate è Balsamo expirantis locuti sumus: occasio iam exigeret ad habendam absolutissimam balsamici odoris quidditatem, vt etiam de eiusdem odoris specie aliquid scriberemus, &c.

Commendatione dignissimum puto, quòd in specifica balsamici odoris quidditate statuenda, Alpino, rei huius expertissimo, adhærere decreueris. Cæterùm quàm religiosè id a te præstitum sit, iam perpendere non inutile erit. Dixit siquidem Alpinus Opobalsamum Thus & Terebinthum, cum suauiori quadam odoris fragrantia, redolere; talique pacto specificum Aromatis huius odorem delineauit. Tu verò pag. 114. Orientale Opobalsamum longè odoratius suauiusq; asseuerasti, ne dum occidentali Balsamo, quamuis odoratissimo; sed etiam Mosco, Ambra, Zibetto, Belzoino, & quacumque re odorata, quæ in nostro hoc emisphæro, seu à natura produci, seu ab arte confici possit: quod quàm distet ab Alpini relatione, quisque per se facile iudicare poterit: quin neminem vnquam

tanta

tanta illud fragrantia præditum affirmasse, haud arduum, vt puto, erit demonstrare: nam, vt tu ipsemet pag. 55. fateris, Theophrastus & Dioscorides validitatem & vehementiam odoris, non suauitatem tribuerunt; Galenus illud optimum asseruit, quod est odore graui & acuto; Auicenna subtilitatem, seu acutiem in eo agnouit; quin Rutæ illum odorem similauit lib. 2. trac. 2. cap. 84. Serapio fortem tantummodò illum esse voluit: Vnus Plinius suauitatis eximiæ eum esse dixit; qui tamen paulò deinde subdit, lachrymæ huius probationem esse, vt sit modicè ruffa, & in fricando odorata. Obserua quæso sublimitatem odoris in ea lachryma ex Plinio, quòd solùm fricata, odorata sit; obserua electionem: ruffam nimirùm laudat, omnium voto peximam atque inueteratam: atque huic nitemur in hac odoris suauitate struenda, qui, vt cuique palàm esse potest, aut nunquam vidit Opobalsamum, aut cæteri omnes de hac re Scriptores caligarunt. At non ne ibidem, hoc est, lib. 13. nat. hist. cap. 25., paulò inferiùs addit, Opobalsamum esse debere odore austerum, qua dictione immite quid, parùmque gratum significatur? ac proinde ad hoc vt Plinius contradictione non implicetur, veritati consona asserat, cæterisq; consentiat Autoribus, dicendum erit suauitate illa

eximia

eximia validitatem balsamici odoris eum designasse. Vnde ergo tantam in liquore illo suauitatem coniectasti? aut vbi imaginatus es? Nec me præterit alium, quem plurimi tamen semper feci, parum à te hactenus ea in re dissensisse; sed cum rationibus addictissimum semper eum cognouerim, facile sententiam mutaturum mihi persuadeo simul ac sciuerit, quæ superius ex grauissimis atque expertissimis Autoribus annotata sunt; qui omnes postquam Opobalsamum diligenter obseruassent, eius odorem tantum a sublimioribus huius seculi odoramentis distare, asseruerũt, quantum distant ab ære lupini.

Neque dicas ad Plinium à contradictione vindicandum, multa, quæ austeri sunt, ingratiq; ob vehementiam odoris; fricatione, diffusis dissipatisq; spiritibus, suauia reddi: nam speciosa potius quàm vera huiusmodi explicatio esset, cum neque Plinianis ijs verbis aptari commodè possit; neque fricationis natura eam patiatur. Etenim non dixit Plinius Opobalsami odorem austerum esse; fricatione verò fieri suauem, vt commentitia hæc explicatio supponit; sed postquam asseruit illum esse suauitatis eximiæ; subdit, (electionem nimirũ optimi balsami nos docens) *lachryma probatio est, vt sit pinguis, tenuis, ac modicè russa, & in fricando odorata*: quod proprium eorum est, quæ lan-
guidi

guidi prorsus per se odoris sunt, ac fermè extincti; ita vt fricatione incalescere, atque excitari opus habeant vt oleant: ac demum post alia multa verba addit odore debere esse austerum: Vbi, vt vides, confusus ac præposterus ordo, incōstantia in odore eo describendo, & vitiosa demum electio, (ruffam enim præfert) satis superque eius de hac re incertitudinem detegunt: Neque hoc mirum esse debet: Veterum enim Autorum varietatem in Balsamo describendo, vt rem non vulgarem, si quis videre exoptat, adeat Ianum Antonium Saracenum nouū Dioscoridis interpretem, annot. in cap. 18. lib. 1. de Balsamo; vbi late eam obseruatam reperiet.

Ad hæc, fricatio ac comminutio non ad hebetandos odores; sed ad excitandos intendendosque dum latent aut languent ex sui natura comparata est: ex quo ijs potissimùm adhibetur, quæ aut densa constant substantia atque compacta, ita vt intus odorati halitus conclusi, extrà expirare nequeant sine aliqua meatuum dilatatione; aut crassiora sunt, ac proinde calore aliquo indigent, quo extenuentur in halitum. Hinc Theophrastus lib. de odoribus *Cur flores*, inquit, *& coronamenta; odoris alioqui imbecillioris, procul etiam olent: Iris autem & Nardus, reliquaque sicca odoramenta, multò vehementiora*

tiora. à propinquo: nonnulla etiam commanducari; quædam teri & comminui; quædam incendi etiam necesse sit, vt Myrrha, Thus, omniaq; suffimenta? Ratio est, quòd flores in summo causam odoris habent, rari præsertim, neque crassi. Radices, omniaque solida, in profundo; exteriora autem retorrida atque densa; quocirca illa halitum longè iactant; hæc viarum quadam patefactione indigent; proinde comminuta, tusaq;, fragrantiora fiunt omnia; flores contrà triti deterius olent; cum illa vim suam ostendant; hi etiam imbuantur aliena. Præterquàquòd non vnius Opobalsami proprium est, ita vt hoc dignosci possit; sed singulorum odoratorum, vt effricata, alacriorem emittant odorem, qui paulò post, expiratis copiosè halitibus, elanguescant.

Prætereo Bellonium, Alpinum, Honorium Bellum suprà adductos, qui cum Opobalsamum ex sensata notione notissimum haberent, non eximijs odoratis, Ambaro, Mosco, & Zibetho, quæ benè nouerunt; sed Terebintho & Thuri illud compararunt, quæ vulgaris omninò sunt odoris. Quin si theriacæ tantùm hodiè, aut Ambaris, aut Mosci, aut Zibethi, admisceretur, quātum Opobalsami ex præscripta dosi admisceri deberet, euaderet proculdubio confectio illa odoratissima: si ergo Opobalsamum hisce odoribus nō modo æquari posset, sed excederet etiā

dum

dum hoc apud Veteres componebatur, non nisi maximè odorata esse potuisset; quam tamen laudem à nemine ei tributam scimus; neque enim hystericis morbis tam tutò adhiberi potuisset.

XX.

Licet inter attributa, quibus Balsami succus ab adulterato & factitio facillimè distinguitur, reponantur ab Dioscoride, quòd instillatus in pannum laneum, maculam ibi non faciat, & in lac, illud coagulet, & in aquam celerrimè dissoluatur, & colore lactescat: tamen ista non sunt attributa propria & immediata, balsamici succi materiam necessariò consequentia; sed sunt ipsius balsamici odoris germina, & immediati effectus, cum hæc non accidant magis vetusto Balsamo, & reddito inodorato, &c.

En tibi aliud non minus ingeniosum commentum. Balsami odor lac spirituali contactu coagulat; laneum pannum eo liquore imbutum, immaculatum reddit; siquè

odoratis idem liquor destituatur spiritibus, lypothimia deficit, pallescit, intermoritur: mira vtiq; ac noua hæc sunt; neq; vspiam hactenus audita; quæ tamen neminem tibi concessurum puto, cui ratio rectè constet; cum nullus Lynceus hucusque repertus sit, qui mirabilium adeò virtutum fontem in Opobalsami odore assequi potuerit, vt tu assecutus videris. Verùm vt sublimiùs tui gloria nominis ob tantum inuentum extollatur, explica mihi obsecro si potes difficultates nonnullas, quę rudiori meo ingenio ex singulari ea inuentione emersere.

Balsami lachryma in laneum pannum instillata per te pag. 56. maculam non relinquit, quia cum odoris natura sit calida, tenuis, leuisque; parùm adhæret: & si quid adhæret; paulatim in spirituosam odoratamque euaporationem dissoluitur, totaq; sic macula euanescit. Verùm cùm non paucas crassiores atq; viscidas partes habeat lachryma illa, vt docent omnes, ostenditq; experientia; nam cùm inueterauerit, Terebinthi instar crassescit, nec amplius olet, cum nequeat tota in halitum attenuari; vt nam ergo euanescet crassior pars & viscida in portiuncula illa supra pannum instillata?

Prętereа, si Opobalsamum ex te pag. 59, lactis partes, quas per odoriferos spiritus inuisibiliter potest tangere, omnes coagu-

lat,

at, ita vt, ſicut cæra formam accipit ab annulo ſine auro; ita pariter lac recipiat ab Opobalſamo coagulationem ſine Opobalſamo? poterunt ne in Arabia pecudum armenta, & Mulieres ipſæ, quibus vbera lacte diſtenduntur, tutò peruagari, ſine euidenti diſcrimine ne lac in ipſarũ mammis coaleſcat, aut in grumos vertatur? Ne rideas quæſo; innumera ſiquidem ſunt ibi Balſameta, vt refert Alpinus, alijque; lachrymæ autem reſudantis copioſiſſimus eſt, ac validiſſimus odor, ita vt longe lateque diffundatur: quamobrem aer ille, qui in omnes corporis latebras ſe ſe inſinuat, omneſque replet cauitates, vt certiſſimum eſt, non poteſt niſi odoratis Opobalſami halitibus eſſe refertiſſimus: ex quo refert Strabo lib. 16. Geograph. apud Sabęos, homines ab odoribus ſtupefactos bituminis ſuffitu, hyrcique barba, odoribus fœtidiſſimis, recreari. O miſeras ergo ibi Mulieres lactis coagulationi ac grumeſcentiæ perpetuò obnoxias!

At cur liquoris huius odor denſam renalis calculi ſubſtantiam penetrans, in partes diuidit frangitq;, vt pag. 10. aſſeueraſti; in lactis verò ſubſtantiam receptus, potenter cogit & coagulat, cum contrariorum contrariæ debeant eſſe cauſę?

Demum, ſi Opobalſamum ſuper aquã inſtillatum ideò per te pag. 58. albeſcit; quòd odoratus eius ſpiritus partim ab a-

qua exsugatur; partim euanescat; vnde
ijs destitutum, eo pacto pallescit (Vide
obsecro ingenij amœnitatem) quo in
animi deliquio ex nimia sanguinis eua
euatione, dissipatis spiritibus, palles
facies: cur, amabo, dum è suæ stirpis p
ga resudat, adeòque odoratis spiritib
prægnans est, vt nequeat innoxiè od
rari; cur, inquam, tunc temporis maxi
candicat, vel pallescit? Hæc porrò vi
lantium somnijs similiora quis diceret, q
magni potius opinantis laudem, quàm
solidæ veritatis certitudinem parere ap
sint: Odorem enim, quem omnium in
Opobalsamo virtutum fontem vsque
pag. 6. cōstituisti, iterumq; adeò nunc actu
sum proponis; aut formaliter accipis, a
ita, vt supra ex Aristotele asseruimus,
aliud potest, quàm sensum odoratus
terare: aut accipis materialiter; ac tu
exhalationes illæ, quæ subiectum sunt B
samici odoris, aut operantur vt calid
tenues, & leues sunt, vt videris innue
& tunc docendum erit, cur Mosci, aut A
baris halitus, qui calidi pariter, tenui
mi, leuissimiq; sunt & penetrantes, c
fi[illegible] [illegible]ariant effectus:
[illegible] [illegible]bstāti[illegible]

facis. Vides quàm facilè corruant, quæ nullo veritatis fundamento nituntur? ac dum odores tãta sagacitate venaris, omnẽ prorsùs theorematis tui substantiã amisisti?

Superest iam, vt rationi respondeamus, cui innixus es, vt tuam hanc opinionem stabilires; quę est, quòd Opobalsamo inodorato reddito ob senectutem, cætera quæuis attributa, omnisq; eius virtus euanescat; quod vtique non fieret, nisi ab odore ea omnia prouenirent: vt enim definit Galenus l.1.de loc.affec. c.2. causa est id, quo tangente afficimur; quo separato, cessat affectus. At Galenus, vt multorum opinio est, definit ibi continentem morborum causam, de qua, quicquid sit, nunc minimè laborandum est. Satis nobis erit definitionem illam, qua dicitur id esse causam, quo posito, sequitur effectus; & quo ablato, non amplius sequitur; nimis latè patere: competit siquidem conditioni etiam sine qua non, vt, exẽpli gratia, approximationi, qua quidem posita, ignis cõburit lignum; eaq; ablata, non amplius cõb[illegible] competit etia[illegible]cipio purè ini[illegible]osita [illegible]ur dies; non [illegible] sequi[illegible] Aurora nõ [illegible]i, sed [illegible]ntummo-[illegible]tiam a[illegible] fallacia [illegible]ur in [illegible]lsamo, in [illegible]ege[illegible]ul odor, [illegible]agul[illegible]ietas la-[illegible]neum

stantiam: ideò prauos humores, quos in itinere nanciscuntur, ad præcordia secum deducerent, nisi prius ij euacuarentur. Ex quibus, non sine acerbitate, vt in idem semper recidat, concludit Theriacam à Manfredo & Panutio hactenus controuersi liquoris admixtione elaboratam, deterrimam esse, eò quòd non habeat odoratissimum Opobalsamum: quin cæterarum omnium eò esse deteriorem, quò liquor iste inferior in odore est oleo Nucis myristicę, quo cæteri Theriacopęi in illa cōficienda vtuntur: odores siquidē sunt, qui alexiteriam vim citissimè ad intima quæq; deducunt. Hæc tota problematis tui ratio est.

Verùm enim, pace Viri huius id dictum sit, doctrina ista, qua Theriacam percelebrem auerso quodam animo penitus opprimere conatus est, cōplura procul dubio inuoluit lōge imperfectiora, quàm ipsemet Theriacam hāc esse vnquam arbitrari potuerit, quod vt clare appareat, obiectoq; veritatis clypeo tantum telum retundatur.

Sciendum est ab oppugnatore isto primùm supponi occultam proprietatem esse virtutem in totum diffusam absque substantiæ propagatione: quæ planè descriptio conuenit primis etiam qualitatibus, calori videlicet, frigori, & siccitati; quæ tamen manifestissimæ sunt qualitates: nam si quis à vehementissimo Sole incalescat, calor, alterata parte post

par-

partem, sine vlla demum substātia atque vehiculo ad Cor vsque propagatur, & febrem accendit: sic pariter nix ad præcordia interdum frigus transmittit, natiuumq; extinguit calorem; & siccitas ab externis partibus ad internas vsque successione quadam propagatur. Quinimmò occulta proprietas abstrahit ab eo, quòd sit cum substantia, aut sine; vt patet ex ipso Galen. lib. 3. de loc. aff. cap. 7., vbi Pelopis præceptoris sui hac in re sententiam exponens, ita retulit: *ex duobus alterum Pelopi præceptori placuit; aut quòd qualitas quædam alteratis per continuationem partibus; aut spiritalis quadam substantia transmitteretur*. Licet ipse ambiguum se ostendat, nam hìc ad secundū inclinare visus est; sed lib. 1. de semin. cap. 16., qualitatis diffusione alterando id fieri maluit.

Sed cum ex doctorum omnium sententia, vt videre est apud Sennertum Institut. lib. 2. part. 1. lib. 4., & lib. 5. part. 1. sec. 1 cap. 11., Occulta proprietas verè propriéq; sit, quæ, cum notissima appareat in suo effectu; ipsa tamen est pœnè inexplicabilis: *Nemo enim*, inquit Riolan. cap. 2. lib. 2. in Fernel. de abd. rerum caus., *quantumuis subtilis causarum perquisitor, qua vi Venena oppugnent, Alexipharmaca defendant vitæ principia, definitè explicauit. Experientia quòd ita sit, decla-*

stantiam: ideò prauos humores, quos in itinere nanciscuntur, ad præcordia secum deducerent, nisi prius ij euacuarentur. Ex quibus, non sine acerbitate, vt in idem semper recidat, concludit Theriacam à Manfredo & Panutio hactenus controuersi liquoris admixtione elaboratam, deterrimam esse, eò quòd non habeat odoratissimum Opobalsamum: quin cæterarum omnium eò esse deteriorem, quò liquor iste inferior in odore est oleo Nucis myristicę, quo cæteri Theriacopęi in illa cõficienda vtuntur: odores siquidẽ sunt, qui alexiteriam vim citissimè ad intima quæq; deducunt. Hæc tota problematis tui ratio est.

Verùm enim, pace Viri huius id dictum sit, doctrina ista, qua Theriacam percelebrem auerso quodam animo penitus opprimere conatus est, cõplura procul dubio inuoluit lõge imperfectiora, quàm ipsemet Theriacam hãc esse vnquam arbitrari potuerit, quod vt clare appareat, obiectoq; veritatis clypeo tantum telum retundatur.

Sciendum est ab oppugnatore isto primùm supponi occultam proprietatem esse virtutem in totum diffusam absque substantiæ propagatione: quæ planè descriptio conuenit primis etiam qualitatibus, calori videlicet, frigori, & siccitati; quæ tamen manifestissimæ sunt qualitates: nam si quis à vehementissimo Sole incalescat, calor, altera parte post par-

partem, sine vlla demum substãtia atque vehiculo ad Cor vsque propagatur, & febrem accendit: sic pariter nix ad præcordia interdum frigus transmittit, natiuumq; extinguit calorem; & siccitas ab externis partibus ad internas vsque successione quadam propagatur. Quinimmò occulta proprietas abstrahit ab eo, quòd fit cum substantia, aut sine; vt patet ex ipso Galen. lib. 3. de loc. aff. cap. 7., vbi Pelopis præceptoris sui hac in re sententiam exponens, ita retulit: *ex duobus alterum Pelopi præceptori placuit; aut quòd qualitas quadam alterutis per continuationem partibus; aut spiritalis quadam substantia transmitteretur*. Licet ipse ambiguum se ostendat, nam hìc ad secundũ inclinare visus est; sed lib. 1. de semin. cap. 16., qualitatis diffusione alterando id fieri maluit.

Sed cum ex doctorum omnium sententia, vt videre est apud Sennertum Institut. lib. 2. part. 1. lib. 4., & lib. 5. part. 1. sec. 1 cap. 11., Occulta proprietas verè propriéq; sit, quæ, cum notissima appareat in suo effectu; ipsa tamen est pœnè inexplicabilis: *Nemo enim*, inquit Riolan. cap. 2. lib. 2. in Fernel. de abd. rerum caus., *quantumuis subtilis causarum perquisitor, qua vi Venena oppugnent, Alexipharmaca defendant vitæ principia, definitè explicauit. Experientia quòd ita sit, declarat;*

tiora. à propinquo: nonnulla etiam commanducari; quædam teri & comminui; quædam incendi etiam necesse sit, vt Myrrha, Thus, omniaq; suffimenta? Ratio est, quòd flores in summo causam odoris habent, rari præsertim, neque crassi. Radices, omniaque solida, in profundo; exteriora autem retorrida atque densa; quocirca illa halitum longè iactant; hæc viarum quadam patefactione indigent; proinde comminuta, tusaq;, fragrantiora fiunt omnia; flores contrà triti deterius olent; cum illa vim suam ostendant; hi etiam imbuantur aliena. Præterquāquòd non vnius Opobalsami proprium est, ita vt hoc dignosci possit; sed singulorum odoratorum, vt effricata, alacriorem emittant odorem, qui paulò post, expiratis copiosè halitibus, elanguescant.

Prætereo Bellonium, Alpinum, Honorium Bellum suprà adductos, qui cum Opobalsamum ex sensata notione notissimum haberent, non eximijs odoratis, Ambaro, Mosco, & Zibetho, quæ benè nouerunt; sed Terebintho & Thuri illud compararunt, quæ vulgaris omninò sunt odoris. Quin si theriacæ tantùm hodiè, aut Ambaris, aut Mosci, aut Zibethi, admisceretur, quātum Opobalsami ex præscripta dosi admisceri deberet, euaderet proculdubio confectio illa odoratissima: si ergo Opobalsamum hisce odoribus nō modo æquari posset, sed excederet etiā

dum

dum hoc apud Veteres componebatur, non nisi maximè odorata esse potuisset; quam tamen laudem à nemine ei tributam scimus; neque enim hystericis morbis tam tutò adhiberi potuisset.

XX.

Licet inter attributa, quibus Balsami succus ab adulterato & factitio facillimè distinguitur, reponantur ab Dioscoride, quòd instillatus in pannum laneum, maculam ibi non faciat, & in lac, illud coagulet, & in aquam celerrimè dissoluatur, & colore lactescat: tamen ista non sunt attributa propria & immediata, balsamici succi materiam necessariò consequentia; sed sunt ipsius balsamici odoris germina, & immediati effectus, cum hæc non accidant magis vetusto Balsamo, & reddito inodorato, &c.

En tibi aliud non minus ingeniosum commentum. Balsami odor lac spirituali contactu coagulat; laneum pannum eo liquore imbutum, immaculatum reddit; sique

odoratis idem liquor destituatur spiritibus, lypothimia deficit, pallescit, intermoritur: mira vtiq; ac noua hæc sunt; neq; vspiam hactenùs audita; quæ tamen neminem tibi concessirum puto, cui ratio rectè constet; cum nullus Lynceus hucusque repertus sit, qui mirabilium adeò virtutum fontem in Opobalsami odore assequi potuerit, vt tu assecutus videris. Verùm vt sublimiùs tui gloria nominis ob tantum inuentum extollatur, explica mihi obsecro si potes difficultates nonnullas, quę rudiori meo ingenio ex singulari ea inuentione emersere.

Balsami lachryma in laneum pannum instillata per te pag. 56, maculam non relinquit, quia cum odoris natura sit calida, tenuis, leuisque; parùm adhæret: & si quid adhæret; paulatim in spirituosam odoratamque euaporationem dissoluitur, totaq; sic macula euanescit. Verùm cum non paucas crassiores atq; viscidas partes habeat lachryma illa, vt docent omnes, ostenditq; experientia; nam cùm inueterauerit, Terebinthi instar crassescit, nec amplius olet, cum nequeat tota in halitum attenuari; vt nam ergo euanescet crassior pars & viscida in portiuncula illa supra pannum instillata?

Preterea, si Opobalsamum ex te pag. 59. lactis partes, quas per odoriferos spiritus inuisibiliter potest tangere, omnes coagu-lat,

lat, ita vt, sicut cæra formam accipit ab anulo sine aurò; ita pariter lac recipiat ab Opobalsamo coagulationem sine Opobalsamo? poterunt ne in Arabia pecudum armenta, & Mulieres ipsæ, quibus vbera lacte distenduntur, tutò peruagari, sine euidenti discrimine ne lac in ipsarũ mammis coalescat, aut in grumos vertatur? Ne rideas quæso; innumera siquidem sunt ibi Balsameta, vt refert Alpinus, alijque; lachrymæ autem resudantis copiosissimus est, ac validissimus odor, ita vt longe latèque diffundatur: quamobrem aer ille, qui in omnes corporis latebras se se insinuat, omnesque replet cauitates, vt certissimum est, non potest nisi odoratis Opobalsami halitibus esse refertissimus: ex quo refert Strabo lib. 16. Geograph. apud Sabęos, homines ab odoribus stupefactos bituminis suffitu, hyrcique barba, odoribus fœtidissimis, recreari. O miseras ergo ibi Mulieres lactis coagulationi ac grumescentiæ perpetuò obnoxias!

At cur liquoris huius odor densam renalis calculi substantiam penetrans, in partes diuidit frangitq;, vt pag. 10. asseuerasti; in lactis verò substantiam receptus, potenter cogit & coagulat, cum contrariorum contrariæ debeant esse causę?

Demum, si Opobalsamum super aquã instillatum ideò per te pag. 58. albescit; quòd odoratus eius spiritus partim ab a

qua exsugatur; partim euanescat; vnde ijs destitutum, eo pacto pallescit (Vide obsecro ingenij amænitatem) quo in animi deliquio ex nimia sanguinis euacuatione, dissipatis spiritibus, pallescit facies: cur, amabo, dum è suæ stirpis plaga resudat, adeòque odoratis spiritibus prægnans est, vt nequeat innoxiè odorari; cur, inquam, tunc temporis maximè candicat, vel pallescit? Hæc porrò vigilantium somnijs similiora quis diceret, quę magni potius opinantis laudem, quàm solidæ veritatis certitudinem parere apta sint: Odorem enim, quem omnium in Opobalsamo virtutum fontem vsque à pag. 6. cõstiuisti, iterumq; adeò nunc actuosum proponis; aut formaliter accipis, atq; ita, vt supra ex Aristotele asseruimus, nil aliud potest, quàm sensum odoratus alterare: aut accipis materialiter; ac tunc exhalationes illæ, quæ subiectum sunt Balsamici odoris, aut operantur vt calidæ, tenues, & leues sunt, vt videris innuere; & tunc docendum erit, cur Mosci, aut Ambaris halitus, qui calidi pariter, tenuissimi, leuissimiq; sunt & penetrantes, consimiles etiam non pariant effectus; vel faciunt id, prout eiusdem substãtiæ sunt cum ipso Opobalsamo; & tunc ad liquoris huius temperiem, vel ad eius formam confugiendum erit, ex qua proprietates plerumque emanant, non ad odores, vt ipse

facis.

facis. Vides quàm facilè corruant, quæ nullo veritatis fundamento nituntur? ac dum odores tãta sagacitate venaris, omnẽ prorsùs theorematis tui substantiã amisisti?
Superest iam, vt rationi respondeamus, cui innixus es, vt tuam hanc opinionem stabilires; quę est, quòd Opobalsamo inodorato reddito ob senectutem, cætera quæuis attributa, omnisq; eius virtus euanescat; quod vtique non fieret, nisi ab odore ea omnia prouenirent: vt enim definit Galenus l. 1. de loc. affec. c. 2. causa est id, quo tangente afficimur; quo separato, cessat affectus. At Galenus, vt multorum opinio est, definit ibi continentem morborum causam, de qua, quicquid sit, nunc minimè laborandum est. Satis nobis erit definitionem illam, qua dicitur id esse causam, quo posito, sequitur effectus; & quo ablato, non amplius sequitur, nimis latè patere: competit siquidem conditioni etiam siue qua non, vt exẽpli gratia, approximationi, qua quidem posita, ignis cõburit lignum; eaq; ablata, non amplius cõburit: competit etiam principio purè initiatiuo, vt posita Aurora sequitur dies; non posita, non sequitur; & tamen Aurora nõ est causa diei, sed principium tantummodò: Quin etiam argumenti tui fallacia satis detegitur in ipsomet Opobalsamo, in quo, donec vegetum est, sunt simul odor, vis lactis coagulatiua, & proprietas la-
 neum

neum pannum non inficiendo: quarè,quẽadmodum tu dicis, posito odore, ponitur vis coagulandi, non inficiendi, & morbis compluribus aduersandi;eoq; ablato; isthæc omnia euanescunt; ergo cuncta hæc pendent ab illo,vt ab immediata causa: sic & nobis dicere licebit,quousq; est in Opobalsamo vis coagulatiua,adsunt etiam cęterę omnes eiusdem proprietates;eaque vi extincta; tũc odor cum alijs virtutibus extinguitur; ergo odor aliæque Opobalsami virtutes pendent à vi coagulatiua. Vides quàm cæreũ, quàm nugax, quàm versatile sit argumẽtum istud, & quàm multis velut cothurnus aptari possit; adeò vt nil certi concludat? eoque clarissimum Collegium te eclypsaturum credis? Vanissimum hoc est. Atqui vera causa dicitur principium, quod per se dat esse alij. Probes hoc de Odore,& tibi vltrò acquiescemus.

Verùm dum paucula hæc carptim hìc illìc annoto,primum totum oppugnationũ tuarum caput, quod vnicum mihi expendendum assumpseram, penitùs expirasse, ad calcemq; deductum video. Reliqua postremis tribus capitibus distributa, intacta nunc relinquere mihi statutum omninò est, vt quæ in Physica Dissertatione diluta satis fuerint, aut euersis iam opinionibus tuis sint conformia: nonnulla tamen velut obiter attingam, quæ ad quæstionem nostram magis attinere videbuntur, qui-

buf-

buſque in anteactis haud ſatis reſponſum exiſtimem: & primò.

Ad probandam odoris neceſſitatem in Theriaca antidoto, arduum problema propoſuiſti pag. 229., quod complurium animos diutiſſimè torſiſſe aſſeueras; tu tamen ſumma facilitate, felicitateq; enodaſti: Cur videlicet alexiterium medicamẽtum tam pauco temporis interuallo, exiguaq; mole aptum ſit tantam Veneni vim per vniuerſum corpus diffuſam, retundere & ſuperare? Vix enim, diſſeris, mente concipi poteſt, quo pacto id efficiatur, niſi ad odoris continuam euaporationem cõfugiamus: neque enim occulta dumtaxat proprietate, hoc eſt, virtute in totum diffuſa citrà ſubſtantiæ propagationem, vt lux per aerem citrà Solis ſubſtãtiam effunditur, id effici poſſe videtur: ne ſcilicet fruſtrà ſancitum ſit practicum illud Galeni præceptum de non propinando antidoto ſine præuia purgatione: nam quemadmodum lux non defert ad nos caliginem, quę in aeris regione interdum continetur, eò quòd, incorporea ſit; ità neque timendum eſſet, ne antidoti virtus, quæ occulta proprietas, ac proinde ſine ſubſtantia eſt, ad Cor vitę fontem ea excrementa deduceret, quæ in Ventriculo primiſque vijs offendit; At quia cum odoribus alexiteriæ illæ virtutes perpetuò cõiunctæ ſunt; hi autem halituoſam adnexam habẽt ſub-

stantiam: ideò prauos humores, quos in itinere nanciscuntur, ad præcordia secum deducerent, nisi prius ij euacuarentur. Ex quibus, non sine acerbitate, vt in idem semper recidat, concludit Theriacam à Manfredo & Panutio hactenus controuersi liquoris admixtione elaboratam, deterrimam esse, eò quòd non habeat odoratissimum Opobalsamum: quin cæterarum omnium eò esse deteriorem, quò liquor iste inferior in odore est oleo Nucis myristicę, quo cæteri Theriacopei in illa cōficienda vtuntur: odores siquidē sunt, qui alexiteriam vim citissimè ad intima quæq; deducunt. Hæc tota problematis tui ratio est.

Verùm enim, pace Viri huius id dictum sit; doctrina ista, qua Theriacam percelebrem auerso quodam animo penitus opprimere conatus est, cōplura procul dubio inuoluit lōge imperfectiora, quàm ipsemet Theriacam hāc esse vnquam arbitrari potuerit, quod vt clare appareat, obiectoq; veritatis clypeo tantum telum retundatur.

Sciendum est ab oppugnatore isto primùm supponi occultam proprietatem esse virtutem in totum diffusam absque substantiæ propagatione: quæ planè descriptio conuenit primis etiam qualitatibus, calori videlicet, frigori, & siccitati; quæ tamen manifestissimæ sunt qualitates: nam si quis à vehementissimo Sole incalescat, calor, altera à parte post

par-

partem, sine vlla demum substãtia atque vehiculo ad Cor vsque propagatur, & febrem accendit: sic pariter nix ad præcordia interdum frigus transmittit, natiuumq; extinguit calorem; & siccitas ab externis partibus ad internas vsque successione quadam propagatur. Quinimmò occulta proprietas abstrahit ab eo, quòd fit cum substantia, aut sine; vt patet ex ipso Galen. lib. 3. de loc. aff. cap. 7., vbi Pelopis præceptoris sui hac in re sententiam exponens, ita retulit: *ex duobus alterum Pelopi præceptori placuit; aut quòd qualitas quædam alterantis per continuationem partibus; aut spiritalis quædam substantia transmitteretur*. Licet ipse ambiguum se ostendat, nam hic ad secundũ inclinare visus est; sed lib. 1. de semin. cap. 16., qualitatis diffusione alterando id fieri maluit.

Sed cum ex doctorum omnium sententia, vt videre est apud Sennertum Institut. lib. 2. part. 1. lib. 4., & lib. 5. part. 1. sec. 1 cap. 11., Occulta proprietas verè propriéq; sit, quæ, cum nõtissima appareat in suo effectu; ipsa tamen est pœnè inexplicabilis: *Nemo enim*, inquit Riolan. cap. 2. lib. 2. in Fernel. de abd. rerum caus., *quantumuis subtilis causarum perquisitor, qua vi Venena oppugnent, Alexipharmaca defendant vita principia, definitè explicauit. Experientia quòd ita sit, declarat;*

rat; ratio cur ità fiat, nondum demonstrauit. Effectus autem, quem ipsa producit, suprà conditionem omninò est elementaris virtutis; quamobrem, neque à temperamento pendere potest; neque à mixti forma (si quæ tamen, vt multorum fuit opinio, ex elementorum formis in mixto coagmentetur;) nihil enim supra propriam conditionem aliquid producere possibile est. Hinc communior facta est opinio, occultas hasce proprietates à specifica forma proximè & immediatè emanare; quæ totam rei substantiam complet perficitque; vnde totius substantiæ proprietates nuncupantur; quæ cum actiuæ sint, neutiquam erunt in prædicamento substantiæ: hæc etenim non nisi aliquo medio accidente agere potest; sed inter accidentia erunt connumerandæ, & quidem in prædicamento qualitatis, cum inter omnia accidentia sola qualitas actuosa existat. Erit ergo occulta proprietas Qualitas à specifica forma emanans, productiua effectus, qui omnem elementi conditionem potentiamque excedit; quis enim calaminarem lapidem quauis elementari vi aut ferrum trahere, aut polum aspicere affirmauerit?

Cæterùm, qualitas hæc occulta, specifica, & totius substantiæ appellata; siue noxia sit, vt deleteria & venenosa; siue salutaris, vt alexiteriorum pleraq; sunt, omnia-

omniaque purgantia medicamenta, quomodocunq; ad penitiora animati corporis feratur; vel abſque ſubſtantia ſcilicet, alteratione partis poſt partem; aut eadem numero ſine partium ſucceſſione extendatur; vel cũ ſpiritali aliqua ſubſtantia veluti aura, vt rationi magis conſentaneum, eſt: cum etenim accidens ſuum habeat eſſe dependenter à ſubiecto; neque poterit eſſe extrà ſubiectum; neque tranſire, de ſubiecto ad ſubiectum; Neque enim, quicquam valet allata ſuperius instantia de luce, quæ cum ſit qualitas; videtur tamen è ſolari corpore ſine vlla ſubſtantia ad infimam aëris regionem, terræque ſuperficiem transfundi; non enim transfunditur, ſed in quacunque diaphani corporis, aut terræ ſuperficiei parte, quæ in debita ſit diſtantia, neque corpus opacum interiectũ habeat, à luminoſo corpore in inſtanti producitur; vt doctè explicat Tolet. in lib. 2. Ariſtot. de an. cap. 7. q. 18. Vtcunq; ergo occulta ea qualitas ad Cor, vitæq; principia deferatur, nunquam odoribus indigebit, vt eò peruenire valeat: multoque minus id opus erit, ne Galeni præceptum de non exhibendis ante purgationem antidotis irritum reddatur: Talis ſiquidem cautio non tantum eſt, ne excrementa deducantur ad Cor, quantum vt viæ ſint expeditæ, & inoffenſo curſu alexiteria qualitas ad vitale vindicandũ

principium quàm citius peruenire valeat: vt satis liquet in exemplo ab ipsomet Oppugnatore allato: lux namq; peruenit quidem ad nos vlla absque solari substantia, & est omninò incorporea: nihilominus si aër densis caliginibus, atrisque nubibus fuerit obuelatus, lux minimè ad nos penetrabit, vel difficillimè.

Quòd si occultæ eæ qualitates opus habeant subiecto, quod mihi magis arridet; id nequaquam ab odoribus petere necesse habent, cum odores non minùs, quàm illæ qualitates subiecto indigeant; sed satis erunt halituosa, spirituosaque effluuia, quæ vnà cum occultis ijs qualitatibus ab alexiterijs aut deleterijs medicamentis emanant; quo pacto Venena, quæ tanta ad Cor celeritate perueniunt, nullis comitata odoribus obseruamus. Ecquis nam odor in Scorzoneræ succo percipitur, cuius tanta efficacia est contrà Viperarum venena, vt ab ijs nomen planta illa apud Hispanos, apud quos primùm reperta fuit, sortita sit? Viperam enim Hispani Scurzo appellant. Quis odor est in Bezoartico lapide, in Hyacinthis, Topatio, Smaragdo, Vnionibus, alijsq; pretiosis lapidibus, in osse de corde Cerui, Cornu Vnicorni, cæterisque huius census, quæ eximia alioqui alexipharmaca perhibentur? Quem sentias odorem in Agarico, Sena, Polypodio, Scam-

Scamonea, alijsque Catharticis, quæ longinquis adeò è partibus tam citò validèq; noxios occulta qualitate humores prolectantè etsi odorata interdum semina ijs admisceatur ad retundēdam medicamēti prauitatem, ne ventriculi orificium nimis offendant? Sed cur Opobalsamo deficiente, Ambarum, Moschum, aut Zibethum, velut præstantissima suprà cæteris omnibus odoramenta, nō ei substituimus, atque ita odoratissimam Theriacam reddamus, si Opobalsami proprium est vno dumtaxat odore tam singulares in ea antidoto edere effectus, & alexiterias quascunque aliorum medicamentorum virtutes ad Cor deducere? præsertim Moschū, qui, vt asserunt Christophorus de Honestis in 1. Mes. cap. de Diamoscho, est Theriaca Venenorum, & maximè Napelli. Sed nemo hucusque id ausus est; vnde nos etiam de his vlterius differere abstineamus: cum hoc tamen, quòd cum præclarum illud problema, quo Manfredi, & Panutij Theriacam penitus protérere nitebaris, inter supremos nostri huius propugnaculi lapides velut in coronide posuerimus; ob inualidas tamen, quibus nititur, rationes, eidem nonnihil inferius relinquatur; hinc nobilis illa adeoque vexata antidotus in ipso nostri huius ædifitij culmine illustris remanebit, alias cunctas excellens, tum ob proprias dotes; tum

ob

ob partam de tot aduersarijs victoriam, quam tu pariter, vt spero, cum ingenuè agere volueris, & laudabis profectò, & ea vt cæteri ferè omnes, cum nominis tui laude, summaq; ægrorum tuorum vtilitate vtèris. Præterea.

Dicunt ex hac parte, complura odoramenta velut valde sublimia apud priscos Autores descripta reperiri, quæ nobis tamen mediocria nunc, satisq; vulgaria apparent; eò nimirùm, quòd præstantissimis ijs destituerentur odoribus, qui postremis deinde seculis innotuere, vtpote Ambarum, Moschus, Zibeth: At tu, enarrata prius ex Auicenna, & Serapione odorum illorum historia; quòd videlicèt Felis cuiusdam & Capreoli strigmentum, & putrefactum excrementum sint, quorum statutis temporibus adeò illa animalia replentur, vt domum, quam inhabitant, longè latèq; odoratissimam reddant; quod proprijs etiam oculis intueri perfacile iam tibi erit, si in Platea Agonis Abyssinum quendam adeas, qui ea animalia enutrit, exiguaque stipe rem nostris regionibus raram ostēdit: cumq; rerū species, inquis, non iam creentur, sed à Mundi exordio simul omnes extiterint, hinc tu, velut excandescens, tonas, in eaque prorumpis verba, pag. 134. *Ecquis vnquam, vel parùm versatus in Peripatetica Philosophia, & mentis compos audebit affirmare seu Moschum non fuisse*

apud

apud Antiquos, seu fuisse ipsis incognitum? præsertim cum in preciosa veniat odoramenta, sit quotidianis vestium suffimentis dicatum, atque ex eo Principes Regesque exornentur: & quòd magis vrget, Antiqui apprimè Odoribus delectarentur, eosq; exactè cognoscerent? Subdisque: *Verum si Moschus & enarrata simplicia non aderant apud Antiquos, vt scribunt propugnatores Manfredici Balsami; dicant, amabo, quis fuit horum inuentor, vbi primùm, & quanto tempore ante fuerunt inuenta, vel saltem afferant aliquem Autorem, vel minimum, qui hanc scribat simplicitatem, & nos, qui veritatem solam diligimus & quærimus, statim libenterq; subscribemus.* Grandis profectò locutio hæc est, cui quis æqualia respondere valeat?

Mitto nunc, an nouæ aliquæ species, subalternæ saltem, possint iam emergere, quæ nusquam anteà extiterint: nam consulere hac in re poteris Agricultores, eosq; qui de animalium historia scripsere: docebunt hi siquidem quot huiusmodi species ex studiosa plantarum cultura, & ex diuersi animalium generis commixtione subortæ sint. Sed vanitati illius argumenti consimile alterū iam opponā. Serico exornantur Reges, Principes omnes, & cuiusq; ordinis nobilitas: Quin etiam Templa, Aræ, Aulæ, Procerumq; omnium habitationes eodem contestiuntur: Veteres autem plurimùm delicijs atque ornamentis studuere, eaque

opti-

optime nouerunt: adde quòd à Bombyce producitur, cuius vermiculi speciem ex dogmate tuo antiquitùs pariter extitisse credendum est; ergo Antiqui cognouerunt sericum. Cui ineptissima non videatur talis illatio? Non vtique, quòd ijs incognitum id fuisse asseram; noui enim quàm controuersum hoc sit, nec videtur improbabile contrarium: sed quòd eo argumētandi genere nil necessariò concludatur: ex eo enim, quòd Veteres odoramenta cognouerint, ijsq; delectati sint, non sequitur necessariò, quòd odores omnes, omnesque delicias cognitas habuerint. Num adeò angustam putas Naturæ opulentiā, vt pluribus etiam seculis omnem prorsùs cognosci posse credas? nec persuasum habes, preciosiora adhuc in eius immensitate latere, quorum non dum particeps nostrum hoc æuum factum sit? Humiliter porrò de ea sentis, longèque deterius, quàm verum Philosophum deceat, si id sentis. Veniet tempus, inquit Plato, in quo posteri nostri tā manifesta nos ignorasse mirentur. Nonne priscis ijs temporibus erat in rerum natura Rhabarbarum, fistularis Cassia: Tamarindus, Bezoarticus lapis, compluraq; huiuscemodi, quorum tam nobilis nunc ac multiplex in Medicina est vsus; nec tamen minimam de ijs cognitionem habuere. At vnde, inquies, hoc nosti? Inde plane, quod di-

li-

ligentissimi Scriptores, qui naturalium rerum minima etiam persecuti sunt, nil penitùs horum meminerint. Sed vix ferendum dum extremam audacter victoriæ aleam iecisti, pro vno dumtaxat, minimoq; Autore, qui ab Aduersarijs afferatur, audens asserere incognitum antiquitùs fuisse Ambarum, Moschum, & Zibethum, quòd scilicet extremæ id simplicitatis atque dementiæ sit; nam manus illicò te daturum polliceris. Sed vide, quæso quid pollicearis, ac memor esto: Necesse planè est omnes naturalium rerum Scriptores te euoluisse, vt negatiuã hanc vniuersalem propositionem tueri tã cõfidenter valeas: quod quàm verũ sit, iã modò videamus. Vix equidem Medicinæ onomasticũ aperui, & statim hæc sub Moschi dictione inueni. *Moschus pretiosissimum odoramenti genus; Veteribus certè ignotũ, quòd vel ex hoc coniicimus, quoniã nusquam illius meminerunt: Arabum potius inuentum; vt pleraq; alia.* Consului deinde P. Andreã Matthiolũ, tibi, omnibusq; satis laudatum, atq; eum epist. lib. 5. epist. ad Martinum Guidottinum pharmacopęũ de ratione parandæ Mithrid. cõfect., occasione vnguenti Nardini, antiquitùs omnium pretiosissimi; cõstabat quippe Malabatro, Nardo, Iuncò odorato, Costo, Amomo, &, quòd magis est, Opobalsamo; quo existimat Christum seruatorẽ fuisse à Magdalena inunctum, &
ca-

ea differentem reperi: quæ supra pag. 80. annotata sunt: docuit quippe pretiosa quæuis Veterum vnguenta protinus ab hominum delicijs relegata fuisse, vbi primùm præstantissima hæc odoramenta posterioribus seculis innotuere: cum ijs omnibus suauiora, odoratiora, pretiosioraque præter omnem comparationem habita sint. Adij tertio Cardanum, qui lib. 10. de subtilitate, de Animalibus Moschum & Zibethum producentibus sic habet. *Manifestum sit huiusmodi animalia neque Aristoteli, neque Theophrasto, nota fuisse: neque mirum, cum Galenus, ad quem magis pertinebat, cum nullum nunc unguentum horum expers sit; quique plus quadringentis annis posterior illis fuit, ea minimè cognouerit.* Ac demum doctissimus Septalius in com. probl. 4. sect. 13. de ijsdem animalibus loquens, pronunciauit: *Antiquis rerum naturalium indagatoribus incognitas fuisse species illas animaliū; & propterea neque Zibethi, sicut nec Ambari neque Moschi, ullam fecisse mentionem: neque enim tantū laborassent in odoratis pastillis & unguentis præparandis, ut videre licet apud Theophrastum lib. de odoribus, & Athenæum in Dipnosophistis: neque tam suaues odores, aut solos aut mixtos omisissent.* nec prætereundum duxi Ioannem Costæum, qui in primum Mes. cap. 11. de Diamoscho sic habet. *Moschum odoratum*

non

non norunt veteres Graci. Nouit ex recentioribus Aetius, qui de eo meminit lib.16., Nouit & Symeom Sethi, qui eius historiam cõscripsit, sed fusius de hac re Serapio. Fallopius itidem in Dioscoridem *Nullus*, inquit, *inuenit apud Antiquiores factam Moschi mentionem, sed à Gracis recentioribus, vt ab Aetio lib. 1. cap.* 16. & inferius. *Nemo Antiquorum nouit Ambram, qua superat omnia &c.* Ex his statim ac manifestè comperi incõsultò te in propositione illa enuncianda fuisse locutum; nam seriò tibi laborandum erit, vt vnum tantummodo inuenias, qui tecum hac in re sentiat; nisi aliquis ex recentioribus sit, cui Ambarum, Moschum, & Zibethum admodum fœteat.

Sed dato hoc etiã, quòd nemo ex Neotericis id apertè dixisset; non ne satis fuisset considerare neque Plinium, cui id potissimùm debemus, quòd rerum naturalium historias, quot quot vnquam ab Antiquis quibusuis scriptę fuerunt, ea solertia collegerit, vt licet amissis complurium Autorum monumentis, rerum tamen cognitio nequaquam amissa sit; Neque Galenũ in medicinali materia recensenda exactissimum, adeò vt nihil eorum tẽporum ab eo omissũ sit, quod humanę valetudini aliquo pacto commodum existimauerit; quàm autem salutaria odorata ea sint, tu odorum studiosissimus optimè calles; neque Dioscoridem, peritia, & se-

du-

dulitate nemini ea in re postponendum, tantorum odorum, vel foetorum nusquam meminisse? Quid dices; quòd Aristoteles probl. 4. sect. 13., & Theophr. lib. 6. de caus. plant. cap. 26., nullum animal esse odoratum affirmarunt? vbi Scaliger de Aristotele exerc. 211. initio. *Odoratorum animalium natura serò cōperta*, sunt eius verba, *adduxit humana sapientia parentem ad quærendum causam rei, quæ nusquam extaret*. Dixissent ne id si Feles hos tuos atq; Capreolos odorum feraces cognitos habuissent? Minime gentium. Sic nonnulli Araneam in oppugnationibus cōtexendis imitari videntur, quæ se miserè euiscerat, vt labore summo fragilissimam telam contexat. Atque vt demùm cuique suum decus rependatur, vnum nullo pacto illaudatum mihi abire patiar.

Vocasti siquidem liquorem hunc, de quo ambigimus, *Opobalsamum Manfredicum*, haud facilè dixerim, maiori ne æquitate, an sapientia: Nam si Planta, à Tabaco Occidētalis Indiæ Prouincia sic nuncupata, tot nomenclaturis fautores suos non paucos immortalitate donauit, teste Neandro in sua Tabacologia: Vnde Nicotiana dicta est à Ioanne Nicotio, Francisci Galliarum Regis in Lusitaniam legato, qui primus eam Galliæ nosceēdam dedit: Quin Catharinæ Mediceę Galliarum Reginæ dono oblata, eique in vsu habita, herba

etiam

etiam Reginæ vocata est; Tornabona pariter à Cæsalpino appellatur, eò quòd Nicolai Tornabonij Anthistitis, ad Galliarum Regem legati, opera in Italiam primùm fuerit transmissa; ac demum herba Sanctæ Crucis communiter hic Romæ dicta est à nobilissimo Anthistite Sãctæ Crucis, mox ad Cardinalatus fastigium euectæ, qui Apostolicæ Sedis Nuncius in Lusitaniam missus, inde primus Romam eam aduexit; cur pariter Arabicum istud Oriẽtale Opobalsamum, Antonij Manfredi singulari industria; non modò Romam aduectum, sed insuper ad nobilissimi Antidoti vsum perfectionemque post tot annorum decades renocatum, id etiam gratiæ Reparatori suo non rependat, vt huiusmodi nomenclatura tanti beneficij memoria nunquam aboleatur?

Atq; hic dissertationibus meis finẽ præfigo, hic ensem, hic clypeum suspendo, nũquam post hac, nec prouocatus quidem, de Orientali Opobalsamo locuturus; quãdo plus forsan quàm satis Archiatro erat pro veritate elucidanda locuti sumus.

Quòd si meliora quis, verioraque in medium allaturus postmodum est; æquidem quàm libentissime doceri patiar, vt qui optime sciam, humanæ sapientiæ laudem esse non exiguam ingenuè fateri se multa nescire: neque enim homini errasse semper turpe est, sed errores fouere ex-

trema dementia est.

Verùm si ad altercandum, suamque mordicùs tuendam opinionem quæcunq; passim quis congerat, obstentetque; per me quidem impunè licebit: tempus tamē veritati, cui pater est, lucem candidiorem quandoq; allaturum confidimus; posteritasque suam cuique laudem rependet.

Iám ex grauissimorum virorum literis accepimus Negotiatorem quendam natione Gallum, Cayro nunc reducem, Florentiam hactenus venisse; cumq; primùm per aeris salubritatem licuerit, Romam pariter petiturus est: ac quemadmodū ibi Aromatarios plerosque Opobalsamo, Xilobalsamo, & Carpobalsamo abundè muniuit; sic nobis etiam omnem pro hac re contendendi occasionem, Deo fauente, est ademptiurus; quàm plura ex Orientalibus ijs regionibus curiosissima secum ostendēda deferens: Attamen.

Aurum & Opes & rura frequens donabit Amicus;

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Mar. epist. 18. lib. 8.

F I N I S.

IN-

INDEX

Notabilium.

Am-

nibus

Bal-

D

Mo-

ab.

I

L

N

O

Opo-

P

Pona

Saba

S

Stacte

V

FINIS.